Digitized by Google

Gc. 4831.

Digitized by Google

Asc. 4831

B

Digitized by Google



CRUENTUM
CHRISTI
SACRIFICIUM,
IN INCRUENTO MISSÆ SACRIFICIO EXPLICATUM.
SEU
PRAXIS,
DEVOTE
Miſſam celebrandi, & audiendi, ad ſingula Paſſionis Chriſti myſteria accommodata, & variis piis affectibus adornata.

AUTHORE
R. P. MATHIA TANNER, e Societate JEſu.

Impenſis Aureæ Eleemoſynæ S. Joann. Bapt. Monachii.
CUM FACULTATE SUPERIORUM.

Typis, Joann. Chriſtph. Mayr, Anno 1756.

Digitized by Google

…LIOTHECA
…GIA
…IS.

Digitized by Google

DE PRÆSTANTIA SACRIFICII MISSÆ.

Sacrificium Miſſæ res eſt omnium maxima, & graviſſima, qua DEus nihil ad ſui cultum majus, & dignius facere poteſt, vel adinvenire. In eo enim Deus Deo donatur, & per hoc tantum colitur, quantum coli meretur, ita, ut adæquate ſatisfiat condignitati, quam habet ad ſui cultum. Unde nec per ullum creatum præmium poteſt ſufficienter præmiare, & compenſare vel unius Miſſæ valorem, ut ea ſit meriti infiniti, ſicut ipſum cruentum Chriſti Sacrificium. Quare Sacerdos, quoties Miſſam celebrat, tantum Deo guſtum, honorem & complacentiam cauſat, quantum omnes ſimul homines, Angeli, Sancti, tam in cælo, quam mundo, per omnem æternitatem, omnibus ſuis operibus, laudibus ac meritis, in Deo non cauſabunt. Plus facit, quam ſi totum

Digitized by Google

mundum, imo mille mundos, omneſque poſſibiles homines, & creaturas produceret: gratiorem, acceptioremque rem præſtat, quam ſi omnium creaturarum exiſtentium, & poſſibilium affectu, & intenſione Deum laudaret. Quia in his omnibus laudaret, & glorificaret Deum ut creatura, & per creaturam; at in Miſſa colit, & honorat DEum ut DEus, quia Dei perſonam gerit, & DEO DEum laudat. Hinc non eſt quaſi imaginabile, quanta Sacerdotis ſit dignitas & felicitas, qui ſingulis diebus ita DEum per celebrationem Miſſæ laudare, honorare & glorificare poteſt, quantum DEus meretur, & dignus eſt, ita ut majorem honorem exigere DEus non poſſit: tantum lætificare, & exhilare; quantum omnes Sancti, una cum beatiſſima Virgine nunquam poterunt per omnem æternitatem: ipſe autem per ſuam Miſſam quaſi DEum de novo facit extrinſece beatum, idque majore beatitudine beatum, quam habuerit per totam retro æternitatem, quia nunquam tunc honorabatur, aut colebatur per Dei, in ſui gratiam, oblationem: ex quo neceſſario quaſi infinitam capit voluptatem. Deinde Sacerdos, quoties celebrat, dat Chriſto novam exiſtentiam, & novum eſſe per veram reproductionem corporis & animæ in hoſtia, quod Chriſto gratiſſimum, maximique boni

loco

loco accidit, quia datur ei occaſio, ut in novo loco ſic multiplicatus & replicatus, poſſit de novo DEum glorificare, & non tantum in cælo, vel aliis, ubi antecedenter exiſtit, locis, ſed etiam in eo, ubi Sacerdos conſecrat, loco, ipſi ſe offerre, & ſe in ejus gratiam exinanire, & annihilare. Cum enim DEus ſit digniſſimus, ut in gratiam illius Chriſtus etiam ſe annullet, & ſuum eſſe perdat, & in nihilum redigat, libentiſſime id Chriſtus, ſi DEus vellet, faceret. Quod, cum omnimode præſtare non poſſit, abſolute nempe ſeſe annihilando, facit id tamen ex parte, & æquivalenter in hoc Sacrificio, in quo per Conſecrationem noviter, & ab eo, quod in cælo habet, diſtincte reproductum eſſe accipit, & poſtquam in eo a Sacerdote, hoc eſt; ab altero ſe (quia Sacerdos tunc vices gerens Chriſti, adeoque moraliter ipſe Chriſtus eſt) oblatus Deo ineffabilibus modis aliquamdiu eum glorificavit, in ſtomachum, inter fœtidiſſima ſputa & ſordes natans, libentiſſime cum ſummo deſiderio deſcendit, ut ibi in gratiam, & complacentiam Dei iterum ſuum illud noviter acquiſitum eſſe deperdat, & quantum per illud ſtat, in rerum natura eſſe daſinat. O quanta DEUS bone! hinc Sacerdoti, in agone præſertim, conſolatio! ſi diebus ſingulis tale Deo, tale Chriſto ſolatium exhibuit, & tam ineffabi-

Digitized by Google

lis ac infinitæ complacentiæ cauſa fuit? Certo res prorſus iſta inconceptibilis eſt, cum per ſolum Sacerdotem ſtet (ipſe enim ſi velit, poteſt celebrare) ut Deus novo modo extrinſece beatus ſit, novum quaſi cælum acquirat, & noviter Chriſtus exiſtat: unde a Deo, ſi ſemper digne celebret, innumera bona, & certiſſimam miſericordiam ſperare infallibiliter poteſt: cum hæ omnes, tam infinite Deum lætificantes Chriſti in Euchariſtia actiones, aliqua ex parte ipſius Sacerdotis ſint moraliter, & ei quadantenus adſcribi poſſint, quia per eum ſtetit, ut Deus eas acquireret, vel non acquireret. Videsne, o Sacerdos! infinitam, & prope immenſam felicitatem tuam? & poſſibiline eſt, ut vel ſemel die aliquo, ſi poſſis, & quidem facile, propter aliquam v.g. recreationem, prandium, vel bonum hauſtum, &c. celebrare omittas? Certe S. Laur. Juſtin. ait: *Qui, cum poteſt Domino ſuo frui, non fruitur, facile declarat, ſe Domini ſui curam non habere.* S. Odilo Abbas (ut eſt in ejus vita) cum per 56. Sacerdotii ſui annos, nunquam Miſſam celebrare omiſiſſet, ſingulari inde conſolatione in morte reficiebatur; unde numerum Miſſarum, quem per tot annos illæ conficerent, ſibi computari voluit; conficiebant autem illæ 20510. Miſſarum numerum,

rum.

rum. Et merito: quia ut ait idem S. Laur. Juſtin. ſerm. de opere Chriſti: *Nullum acceptabilius Deo offertur Sacrificium, ſive ad exolvendum laudes, ſive ad agendum gratias, ſive ad impetrandam indulgentiam, ſive ad gloriam promerendam, quam Corporis & Sanguinis Chriſti ſacroſanctum myſterium.* Quod Deo offerre quoties Sacerdos omittit abſque legitimo impedimento, quantum in ipſo eſt, ait S. Bonaventura tr. de præp. ad Miſſam cap. 5. *SS. Trinitatem privat gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos gratia, exiſtentes in purgatorio ſubſidio, Eccleſiam ingenti beneficio, ſe ipſum medicina, & remedio.* Et quidem tali remedio, quod, ut ait S. Thomas p. 3. q. 79. art. 1. *Eundem effectum affert, quem Paſſio Chriſti fecit in mundo.* Cum igitur hæc actio tam ſit grata Deo, & utilis mundo, fiatque inſuper nomine, & in perſona Chriſti, manifeſte ſequitur, Seraphico quodam, & plusquam humano fervore, Angelica puritate eam exerceri oportere: ita ut non immerito dixerit S. Iſidor. Peluſ. l. 2. Epiſt. 205. *Tantum intereſſe debet inter Sacerdotem, & quemlibet alium probum virum, quantum*

inter cælum & terram diſcriminis eſt. Unde S. Chryſoſt. hom. 41. in Matth. ait: *Nulla magis re Deus offenditur, quam ſi quis indignus Sacerdotii dignitate præſulgeat.* Quin & ipſe Chriſtus Dominus in revelatione quadam dixit S. Cath. Sen. Dialog. cap. 124. *Noveris, quia tantam puritatem a Sacerdotibus in iſto Sacramento requiro, quantàm in vita præſenti homo habere poteſt: & ſi poſſibile foret, expediret etiam ipſam Angelicam naturam in hoc Sacramento purificari.* Unde uti impium, ita prorſus mirum eſt, ſi quis in hac tam ſacra actione, & tremenda oblatione, aliud aliquid mente pertractet, quam id, quod agit: & Dei corpus tractando, Deoque illud præſentando, corde interim alibi per creaturas indigniſſime divagetur: horrendum videlicet hujus impietatis, & deſpectus Dei Majeſtati facti judicium ſubiturus. *Magna miſeria & miſeranda infirmitas*, ait ſanctus Franciſcus Seraph. in Epiſt. ad Sacerdotes ſui Ord. *Quando ipſum ſic præſentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis.* Ut igitur habeat Sacerdos, quo pie & utiliter mentem tempore hujus divini Sacrificii occupet, conſiderationes quaſdam

fa-

Digitized by Google

faciles & obvias, tunc pertractandas, hic opono, quibus hinc inde actus virtutum opportune tunc eliciendos inſero. Tu, dum tam multos, & ad ſingula ſæpe verba, & motus, novas conſiderationes, & actus virtutum aſſignari legis, ne de his in praxim redigendis nimium ſolicitus ſis, & deſperando totum relinquas. Feci hoc tua cauſa, ut delectum & varietatem haberes; neque enim opus eſt, ut ſingula obſerves, elige, & practica, quæ magis placebunt, & ubi aliquo tempore iis aſſueveris, novis ac pluribus deincceps paulatim in exercitium aſſumptis, non difficulter poſt aliquot menſium uſum, pleroſque omnes, intra unius etiam ſemihorarii Sacrificii tempus uſurpare poteris.

PRÆ-

PRÆPARATIO
REMOTA SACERDOTIS SACRIFICATURI.

Nullam hic de præparatione eſſentiali, quæ in carentia omnis peccati mortalis conſiſtit, mentionem facio: neque enim tantam impietatem in Sacerdotum aliquem (niſi Judas eſſe velit, in quem ſumpta Euchariſtia diabolus intravit) cadere poſſe credo; ſed eam ſuppono: uti & illam, quæ in carentia omnis gravioris peccati venialis ſita eſt, ut, ſi non per Confeſſionem, ſaltem per ferventem contritionem, ante Miſſam aboleatur. Sane S. Franciſcus Borgia, puritatem hanc quotidiana apud Sacerdotem exomologeſi procurabat, De illa ergo præparatione tantum, quæ ad hoc Sacrificium non tantum ſimpliciter digne, ſed quantum fieri poteſt, digniſſime offerendum diſponat, hic agam.

Quamprimum mane a ſomno expergiſceris, imaginare pia mente, inclamari tibi ab

An-

Angelo tutelari, vel quovis alio Sancto ſolenne illud: *Ecce Sponſus venit, exite obviam ei.* Matth. 25. aut illud Epheſ. 5. *Surge, qui dormis, & illuminabit te Chriſtus;* aut illud ad Abraham Gen. 22. *Surge, vade in terram viſionis, atque ibi offeres in holocauſtum* mihi filium unigenitum, quem diligo, verum Iſaac JEſum, vel illud Pſal. 94. *Venite, exultemus Domino, praeoccupemus faciem ejus, &c.* Atque tum per ferventes & breves actus, precesque jaculatorias, Deo grates pro noctis cuſtodia referas, primitiasque cordis tui, per fidei, ſpei. charitatis &c, actus, in cælum præmittas, pie quodammodo in corde tuo ad voces illas te excitantes reſpondens cum Samuele 1. Reg. 3. *Ecce ego Domine, quia vocaſti me;* vel illud cum Sponſa Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quaſivi, quem diligit anima mea, quaſivi illum, & non inveni, ſurgam &c.*

Veſtibus inferioribus te induens, cogita veſtes illas, quas poſt peccatum e foliis ſibi Adam conſuit, aut illas, quas e pellibus animalium Deus illis e Paradiſo proſcriptis induit, & agnoſce veſtes pœnam eſſe, & ut loquitur S. Thomas Aquinas, *cauterium quoddam peccati*, quo poſt lapſum homo

notatus eſt. Quæ cogitando, dole ſincere de omnibus vitæ peccatis, & erubeſce tam commode te indui, & veſtiri, cum Dominus nudis pedibus, unica per omnem vitam tunica contentus, pauperrime inceſſerit.

Caput pectens, evulſionem crinium, & ſpineam in ſanctiſſimo Chriſti capite meditare coronam, vel illud Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* Et congruos doloris, compaſſionis, erubeſcentiæ, &c. affectus elice.

Dum te lavas, ſuper nivem dealbari a Domino pete, & cogita, quaſi ſanguine e Chriſti vulneribus profluo anima tua ablueretur, & linteo ab ipſo Domino peccata tua tergerentur.

Talarem veſtem induens, cogita illud Rom. 13 *Induimini JEſum Chriſtum*, & ſcias hanc veſtem eſſe quodammodo inſignia Chriſti, per quæ in Eccleſia ſua Sacerdotes & Clericos ab omnibus aliis diſtinqui voluit, & quæ ſanguine ſuo coempta (quidquid enim Eccleſiaſtici habent, vel comedunt, omnia ſunt patrimonium, & merces laborum, & ſanguinis ejus) tibi donavit. Et per hoc excita te ad ſerviendum illi ex toto corde, & anima. Et veſtem hanc magnifacias, nec unquam ſine ea in publico com-

Digitized by Google

compareas. Perfecte indutus, proſterne te toto affectu ad pedes Crucifixi in tuo Oratorio, totum te illi in holocauſtum, cum omnibus illius diei operibus offerens, gratiamque in ejus amore, & obſequio perſeverandi, & creſcendi flagitans: ac tum conſuetas tuas precationes, primario autem ex horis Canonicis Matutinum & Laudes (niſi pridie abſolveris) una cum Prima, juxta præſcriptum Rubricarum perſolve. Deinde ſi tempus patiatur, hæc diligenter præſtare ſtude.

1. Quotquot potes lucrandis indulgentiis preces recitare, vel alia pia opera, quibus hæ annexæ ſunt, exercere, ne omittas; ut non tantum a culpa, ſed & pœna, quantum fieri poteſt, immunis, ad tantum Sacrificium offerendum accedas.

2. Corpore ſis mundo, præſertim manibus, & ore decenter lotis, quibus Sanctum Sanctorum contrectaturus es.

3. Si liberum tibi ſit quandocunque Miſſam celebrare, ſemper eam abſolve, quam primum potes, antequam ullum aliud negotium, vel occupationem inchoes, ut in ea quam minime aliis cogitationibus diſtraharis. Et interim ſuaviter aliquid ex iis, quæ in fine hujus libelli apponentur, meditare, & rumina.

Exiturus e cubiculo, vel domo, ad ipſam Miſſam celebrandam, contemplare Chriſtum

e Bethania exeuntem, & Matri valedicentem, cum ab ea Hieroſolymam ad Paſſionem, & mortem ſuam digrederetur. Quot ſuſpiria, quot lacrymæ intervenerunt! Ita & ſimiliter tu paulatim ad ſacram quamdam mœſtitiam te commove, oblaturus Sacrificium memoriale tam cruentæ mortis Domini. Excita in te deſiderium, quantum potes, ſimillimum illi Chriſti deſiderio, quo in hac vita deſiderabat hoc Paſcha manducare cum Diſcipulis ſuis, & ſanctiſſimam Euchariſtiam inſtituere: adeo ut præ illo etiam Matrem ſuam, & omnia alia deſeruerit: ut & tu diſcas omnia, quæcunque negotia, quantumcunque dilectas in mundo res, deſerendas & negligendss eſſe potius, quam Miſſæ celebrationem, in qua idem, quod in ultima illa Chriſti Cœna fuit, Paſcha manducas.

PRÆPARATIO PROXIMA.

Ingreſſus Sacriſtiam, flexis ad Oratorium genibus, intentionem celebrandi fac, vel renova jam factam, recitata etiam illa Gregorii XIII. Oratiuncula: *Ego volo celebrare Miſſam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti, juxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ad laudem &*

gloriam

Digitized by Google

gloriam omnipotentis DEI, totiusque Ecclesiæ triumphantis, ad utilitatem quoque meam, totiusque Eccleſiæ militantis, pro omnibus, qui ſe commendarunt orationibus meis, in genere & in ſpecie, & pro felici ſtatu S. Romanæ Eccleſiæ, Amen. Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem S. Spiritus, perſeverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus, Amen. Propter Indulgentias 50. annorum ilii annexas.

Dehinc Sacerdos deponit pallium, & pileum, &c. Sicut Chriſtus Dominus poſuit veſtimenta ſua, ut lavaret pedes Apoſtolorum. Lavat manus, conſuetam Eccleſiæ precatiunculam recitando, cujus verba ſingula dum attente, & penſiculatim profert, cogitet Chriſtum Dominum lavantem pedes Diſcipulorum, & tergntem linteo, quo erat præcinctus.

Veſtibus ſacris ſe induens, eo affectu illas accipiat, acſi veſtes & inſignia Paſſionis ipſius Chriſti indueret; ſunt enim revera repræſentantes veſtimenta illius, quibus in Paſſione indutus, & illuſus fuit. Cogiterque, quanto cum dolore & ludibrio ipſe illis amictus fuerit, quas ipſe jam abſque omni tali

ſenſu

ſenſu, imo ad magnum augmentum honoris, & gloriæ ſuæ ſumit.

Superhumerale, ſeu amictus, velum illud ſignificat, quo oculi Chriſti ligati fuerunt, dum alapis contumelioſe cæderetur: *Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit?* unde illud etiam Epiſcopus ordinandis ſuper caput attrahit, oculis quaſi libertatem hinc inde circumſpiciendi præcluſurus.

In alba deſignatur illa longa veſtis, qua illuſus ab Herode & ſpretus eſt: quæ quia inæqualis erat, nimiumque promiſſa, ſæpius ſuper eam calcando lapſus, ſacra genua, faciemque læſiſſe, in variis revelationibus proditur.

Cingulum & Manipulus funes illos, quibus corpus, manusque ligatas habebat, referunt. Stola catenam illam ſignificat, quæ (uti annotatur in vita Chriſti) imponi ſolebat apud Judæos condemnatis ad mortem, adeoque & Chriſto Domino impoſita fuit. Unde etiam a Sacerdote per crucem ante pectus Stola tranſponitur, ut per eam ad crucem condemnatus Dominus in memoriam revocetur. Caſula ſignificat purpureum veſtimentum, vel etiam crucem Chriſti, quæ plerumque in ipſa Caſula ante & retro exprimi ſolet.

Hæc

Hæc dum induit & nonnulla ex iis juxta Rubricas prius oſculatur, faciat id cum magno erga Chriſtum Dominum affectu, quaſi revera ipſa Chriſti indumenta eſſent: ſimulque perpendat excellentiam Miniſterii ſui, & muneris, quod acturus mox eſt, pro quo rite peragendo non tantum ipſe, ſed & omnia ac ſingula apparamenta, ſpecialiter conſecrata eſſe debent, quæcunque ad illud quolibet tantum modo, eſto valde remote, deſerviunt.

Vel ſi mavult ſe verbis ſingularum precationum, quas interim hæc induendo dicit, accomodare; cum accipit amictum dicens: *Impone Domine capiti meo galeam, &c.* petat ſibi concedi galeam firmiſſimæ ſpei, *contra omnes diabolicos incurſus.* Circumligatur autem ille circa pectus duobus funiculis, ut totus huic anchoræ Divinæ ſpei alligatus, nunquam eam in ullis adverſitatibus dimittat. Has autem Oratiunculas inter induendum ita pronuntiet, ut non citius eas abſolvat, quam ipſum veſtitum perfecte ſimul ſibi applicet.

Dum Albam induens orat: *Dealba me Domine &c.* petat a Domino indui veſte illa nuptiali gratiæ Divinæ, pretio ſanguinis Chriſti nobis comparata, ſine qua in Cœna nuptiali comparens, ejectus mittitur in te-

no

nebras exteriores. *Matth.* 22. vel petat totius corporis ſui, omniumque membrorum ſanctificationem, ut, quemadmodum ſenſibiliter omnia veſte hac alba conteguntur, ita etiam inviſibiliter omnibus peccatis contectis, ſuper nivem dealbentur, & ſanctificentur. In cingulo petat Angelicam caſtitatem, & omnimodam in opere, verbo & cogitatione munditiam, quæ, uti cingulum veſtem, ne in terram defluat, & ſordidetur, continet, ita illa mentem, ne in terrenis voluptatibus, & turpitudinibus inquinetur, coercet.

Manipulum lævo brachio, quod cordi vicinius eſt, inſerens, petat illa Oratiuncula in hac vita eſſe e numero ſalutariter lugentium, quos beatos & conſolandos Chriſtus prædixerat: *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Declarat id pulchre ipſum nomen *Manipulus*, revocatque in memoriam illud Pſal. 127. *Euntes ibant, & ſtebant, &c. venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.*

In Stola, quæ collo imponitur, petat tanquam filius prodigus primam ſibi ſtolam, per peccata ſæpiſſime deperditam, & conſpurcatam, reſtitui, quam tamen conſervari non poſſe diſcat, niſi cruce tanquam clypeo pectus obarmatum, hoc eſt; mortificatione, crucis,

crucis, & adverſitatum amore, & terrenorum contemptu munitum habeat: & ideo etiam Stola per crucem ante pectus transponitur. Vel cogitet Stolam hanc deſignare per duos ſuos fines duplicem legem charitatis, Dei & proximi, cujus obſervationi collum ſuum dum ſubmittit, implet illud Eccli. 6. monitum: *Injice in torques ejus collum tuum, & erunt tibi in ſtolam gloriæ.* Cujus obſervatio, ne gravis accidat, ſuperpoſita Chriſti crux in utaque Stolæ extremimitate, facilem eam reddet.

Caſulam ſibi imponendam, dum utraque manu caput ei ſubmittendo acceptat, faciat id cum magna animi reſolutione, omnia in ea, quæ DEus circa eum ordinaverit, ſive proſpera, ſive adverſa, in vita & in morte acceptando, paratus omnia facere, quæ Deus ab illo fieri, omniaque pati, quæ Deus perferri vult, ad eum modum, quo Chriſtus Dominus propoſitam ſibi a Deo Patre crucem acceptans, dixit: *DEus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Verbo: ſub Dei providentia totum ſe abſcondet ſicut pullus ſub alis gallinæ. Et ideo forte etiam ſupremus iſte Sacerdotis ornatus Caſula nuncupatur, hoc eſt: parva caſa, ſeu tuguriolum: quod ſub Dei, tanquam optimi Patris protectione commorans, abſ-

que

que omni timore & incommodo manebit ſecurus. Et iſte affectus præ omnibus aliis ſumme neceſſaria ſacrificaturo Sacerdoti videtur eſſe præparatio.

Sic indutus, reſiduo, priusquam ad Altare procedat, tempore, ardentiſſimis amoris Dei, doloris de peccatis, &c. actibus, unice vacare ſtudeat, ut totus quaſi cæleſtis ad tam tremendam actionem accedat; unde hos vel ſimiles actus & intentiones, niſi eas prius elicuerit, breviter elicere poterit.

1. Excitet in ſe, quam maximum poteſt, deſiderium celebrandi, & hanc ſanctiſſimam actionem in memoriam dulciſſimi Domini JEſu, quam ferventiſſime peragendi, juxta illius ſacratiſſimi cordis deſiderium, dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Qui nihil pro acerbiſſima ſua paſſione, & tantis cruciatibus a nobis requiſivit, niſi tam ſuavem (uti eſt ejus Divini Corporis & Sanguinis conſecratio & ſumptio) memoriam. Offeratque illud Sacrificium in gratiarum actionem, pro univerſis ſibi, & toti mundo collatis beneficiis; in ſatisfactionem pro infinitis peccatis, ad impetranda univerſis hominibus, in quacunque neceſſitate conſtitutis, congrua auxilia.

2. Roget DEum Patrem, ut cum eo affectu, & illa gratiarum copia det illi Filium ſuum in ſanctiſſima Euchariſtia, cum qua il-

lum

Digitized by Google

lum dedit in Incarnatione ſanctiſſimæ Virgini.

3. DEum Filium, ut ſe illi communicet, deſcendatque in ſanctiſſimam Euchariſtiam cum eo affectu, & donorum affluentia, cum qua pro nobis incarnatus, ſe dedit beatiſſimæ Virgini, totique humano generi.

4. DEum Spiritum ſanctum, ut tam mundum, tam ardens Divino amore, & tam plenum donis Divinis, corpus & animam ejus efficiat, ante, & per adventum ſanctiſſimi Sacramenti, ut ab omni macula puriſſimus, deinceps etiam nullo eum peccato offendat, & animam ſuam, ejus hoſpitium, inquinet.

5. Beatiſſimam Virginem, ut illi Dei in ſanctiſſima Euchariſtia recipiendi amorem impetret, ſimillimum illi ſuo amori, quo ipſa illum primo ex utero natum, in ulnas ſuas recipiens, complexa eſt.

6. Omnes Angelos, præcipue ſuum Cuſtodem, ut ei impetrent tantam erga ſanctiſſimam Euchariſtiam reverentiam, quantam ipſi circa illam undique ſtantes ei exhibent.

7 Hæc eadem, vel ſimilia, poſtquam pro affectu ſuo a SS. Patronis, præcipue de quibu celebraturus eſt, petierit, tandem petat a ſanctiſſima Chriſti Humanitate, ut cum eo affectu ſe illi jam communicet, cum quo in cruce dedit animam ſuam pro nobis, &

cum

cum quo ſanctiſſimum hoc Sacramentum in memoriam ſuæ Paſſionis inſtituit: & cum ea gratiarum acceſſione, quæ reſpondeat meritis ejus vitæ & mortis.

Inſuper hoc fine celebrare intendat, ut Chriſtus Dominus per conſecrationem ab illo reproductus, loco ipſius DEum condigne glorificet. Velit etiam per Chriſtum, tanquam Actorem ſuum, DEum laudare, & glorificare, & illius Deo infinite gratas actiones in Euchariſtia, ſuas quodammodo facere.

Demum propter repentinos hujus vitæ caſus tam varios, eo etiam animo in hoc Sacrificio communicare velit, ut, ſi Dominus Deus forte prævideat eum poſt illud non habiturum amplius copiam ſumendi Viatici ultimi, ut illa Communio, quam percipiet in Miſſa, ſit loco illius. Et ita nunquam ſine Viatico morietur, etiamſi repentina morte præveniatur.

ACCESSUS SACERDOTIS AD ALTARE.

Ita præparatus, accepto ad manum ſiniſtram Calice, factaque Cruci reverentia, vel alteri imagini in Sacriſtia locatæ, capite cooperto tendit ad Altare, quaſi Rex corona Sacerdotali inſignitus, Regalibus Chriſti veſtibus indutus, ſceptrum in manu tenens, to-

toque

Digitized by Google

toque ſitu & geſtu Regem Regum, Dominum Dominantium repræſentans, ad tribunal Divinæ Majeſtatis, Altare videlicet, progreditur, in quo Regiam ſuam auctoritatem, & poteſtatem exercere debeat.

1. In itu extra Sacriſtiam recogitet, & ſibi imaginetur, quomodo cælum univerſum cum omnibus Sanctis, totaque Angelorum multitudine, ad ſpectaculum hoc effuſum, Sacrificio ejus interfuturum, cum incredibili gaudio & deſiderio ſeſe apparet, & ante thronum Dei Majeſtatis ex ſacro horrore & reverentia illius, quem ipſe oblaturus eſt, in facies ſuas (prout in Apoc. vidit Joannes) ſe proſternat clamans: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth!* & maxima etiam Angelorum pars ad Álrare ei ſacrificanti miniſtratura deſcendat. Quos ipſe intuens, ad ſimilem reverentiam cum abyſſali humilitate erga DEum tempore Sacrificii habendam, ſe excitet.

2. Meditetur, quomodo omnes in mundo homines, in variis calamitatibus, miſeriis, & neceſſitatibus afflictiſſimi, ab ejus Sacrificio ſubſidium incredibili cum deſiderio expectent, & infinitis quaſi, ac ſumme lamentabilibus clamoribus miſericordiam per eum a Deo implorent, ægri ſanitatem, pupilli, viduæ, incarcerati, naufragi, oppreſſi

preſſi, captivi, pauperes, & mille aliis modis, calamitatibus, & injuſtitiis proſtrati, a malis illis liberationem petant. Multo vero infinities amplius tot Gentiles, Turcæ, Judæi, Hæretici, in peccato mortali conſtituti, tentati, moribundi, gratiam efficacem ſalutis & converſionis, (etſi non per ſe immediate, in Chriſto tamen, tanquam omnium hominum capite) ſibi per eum obtineri efflagitent. Quorum omnium ejulatus, clamores, & triſtiſſimas voces ipſe quaſi audiens, & miſerabiles geſtus, ſtatum & conditionem intuens, tanto cum fervore Miſſam celebrare conetur, ut omnibus iis certum a Deo remedium efficaciter obtineat.

3. Inſuper addat clamores, & triſtiſſimos ejulatus animarum purgatorii, e flammis illis crudeliſſimis per ejus Sacrificium liberari flagitantium, quorum inde liberatio plurimum, ac præcipue pendet ab oblatione Miſſæ. En! ad quale Sacerdos celebraturus prodit theatrum, factus veriſſime ſpectaculum Deo & Angelis, & hominibus omnibus, in tam admirandam, prorſusque divinam ejus actionem intentis.

Hic jam adverte, a me tibi pro eadem ſubinde actione in Miſſa, duplicem, vel etiam triplicem conſiderationem diverſam, variosque affectus ſuggerendos, non quod ſingulos elicere, vel cogitare opus ſit (id enim

enim non niſi jam valde perfecti poſſunt) ſed ut varietatem habeas, & eligas id, quod maxime placebit. Cum enim Miſſæ celebratio ſit memoria, & viva repræſentatio totius Paſſionis Chriſti, ſingula hic ejus myſteria per ſingulas Miſſæ actiones repræſentatas dum leges, ſi id placuerit, aliis relictis, hoc unum ſacrificans, meditari poteris, & affectus tuos affectibus Chriſti Domini, quos in ſingulis myſteriis illum habuiſſe credibile eſt, conformare. Si magis affectum tuum ipſis Miſſæ verbis, & verborum ſenſui accomodare arriſerit, etiam pro hoc congruas conſiderationes, & varios actus virtutum aſſignatos invenies.

Igitur e Sacriſtia ad Altare progrediens, poteſt etiam recogitare iter Redemptoris noſtri poſt Cœnam ad hortum & Paſſionem, *quando hymno dicto exierunt in montem Olivarum.* Matth. 26. Similiter & Sacerdos Chriſtum referens, procedit miniſtro præeunte, qui perſonam omnium Diſcipulorum refert; unde etiam Sacerdos *Confiteor*, *miſereatur &c.* ad eum, tanquam ad plures, pluraliter dicit.

Ad Altare perveniens, profunde ſe inclinat coram Crucifixo, & aſcendit Altare verſus.

Digitized by Google

Myſterium. Chriſtus Dominus relictis Diſcipulis aliis ad ingreſſum horti Gethſemani (*ſuſtinete hic, donec vadam illuc, & orem)* tribus tamen ſecum aſſumptis, à reliquis diſcedit.

Ad Altaris medium in aſcenſu perveniens, præparato calice, & inventa Miſſa, deſcendit ad confeſſionem dicendam.

Myſterium. Chriſtus Dominus ad extremum etiam tribus illis Diſcipulis relictis, *avulſus eſt ab eis* ad locum Orationis, *quantum jactus eſt lapidis.*

Antequam autem Sacerdos ab Altaris medio deſcendat, nonnihil ibi, inventa jam in libro Miſſa, conſiſtens, & quidpiam pro libitu orans, vel intentionem renovans, cogitet ſe audire invitantia illa Sponſæ Canticor. 5. verba: *Deſcendat Dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.* Quaſi dicat illa ad Chriſtum Dominum. Quandoquidem in te aſſumpſiſti onus ſolvendi debitum pro fructu pomorum ab Adam deguſtatorum, deſcende in hortum tuum, in quo in trina Oratione, & ſanguineo ſudore, prægusta & comede fructum amariſſimorum iſtorum pomorum. Atque ita cum magna erga Chriſtum tædentem, & agonizantem compaſſione, caput profunde Cruci-

ci-

Digitized by Google

cifixo (uti & alias ſemper, quoties a medio Altaris recedit & accedit) inclinat. Quod, ut tanto majore affectu, & reverentia faciat, cogitet vere ante ſe Chriſtum Crucifixum pendere ſuper Altari, tanquam monte Calvariæ, id, quod tanti ſemper fecit Eccleſia, ut neque ſine Crucifixo Sacrum celebrari voluerit. Deinde per totius Miſſæ decurſum hæc quatuor, quaſi ſubſtantialia, præ omnibus hactenus dictis, obſervare ſtudeat;

1. Ne toto Sacrificii tempore DEum offendat ullo veniali peccato, quantumvis minimo, quando tam notabili modo agit immediate cum Deo, os quaſi ad os, facie ad faciem loquens, idque vice Chriſti, nomine totius Eccleſiæ, res tam eximias tractans.

2. Ne ullo etiam inculpabili defectu & imperfectione, tam venerandi Sacrificii excellentiam contaminet. Quod fiet, exactiſſime omnia, quæ in Miſſali præſcripta ſunt, quoad geſtus, & ſitum corporis, & alia obſervet, & quidem eo modo, quo a viris ſincere Deum amantibus obſervari ſolent. Rem in exemplis accipe: Nunquam, dum adhuc Orationem aliquam dicis, aliam interim in Miſſali quære. Dum alternatim profers cum miniſtro verſus aliquos, ne illos inchoes, antequam miniſter ſuos finierit. *Kyrie eleiſon*, *Munda cor meum &c.* non inchoes

 pro-

procedendo a cornu Epiſtolæ, donec ad medium Altaris, illic jam conſiſtens, pevene. ris. *Dominus vobiscum*, ita ad populum profer, ut ſimul & ſemel id dicendo, manuum palmas explices, & complices, Verbo: exactiſſime in omnibus particulis Miſſæ, circa omnes minimos digitorum, & oculorum geſtus, præſcriptas Rubricas ad literam obſerva.

3. Omnes geſtus manuum, motus pedum, & omnium rerum attactus, ſint graves, & circumſpecti, *locus enim, in quo ſtat*, & quem calcat, *terra ſancta eſt.* Quidquid ex rebus Altaris tangit, ſanctum & ſpecialiter Deo conſecratum eſt. Miſſale ejus eſt in Eccleſia venerationis, ut ſuper eo potiſſimum juramenta firmari ſoleant, & olim in Conciliis, Baronio teſte ad A.D. 325. & 451. liber Evangeliorum, in ſede nobiliori inter Epiſcopos locabatur. Altare autem tanti a Deo fit, ut ſpecialem Angelum Cuſtodem unumquodque, quamdiu conſecratum eſt, a Deo aſſignatum habeat. Ita legitur in Prato Spirituali cap. 4. & 10. & refert Gavantus p. 1, tit. 20.

4. Omnia verba intelligibili, & tarda voce efferat (ſic tamen, ut mediam horam ſemper explendo, non multum excedat) cum magno fervore & attentione, nihil aliud tunc

in

Digitized by Google

in mentem admittens, ita ut ex ipſorum ſenſu ſpiritualem fructum, & conſolationem capiat, & affectus ſuos ſenſui illorum accommodet. Excelluit in hoc S. Ignatius, qui adeo Miſſam dicendo inflammabatur, ut facies ejus tota rubeſceret inſtar cancri cocti (hac enim phraſi id ſcribentes exprimunt P. Lud. Conſalvus, & P. Petrus Ribadeneyra) & tanto fervore æſtuabat, ut quandoque ab Altari alienis manibus deportari in cubiculum debuerit, pedibus propriis præ languore, & virium defectu, non valens ſubſiſtere. Ideoque ſæpe illam omittere coactus, niſi validis eſſet viribus, ſacrificare non poterat. Sæpe vero illam aggreſſus, licet ſe robuſtum ſentiret, in morbum incidebat, ob vehementiam ferventium ſpiritus affectuum. Semel autem in lethalem morbum incidit, ob Sacrificia duo in Natali Domini continenter celebrata.

INGRESSUS IN SACRIFICIUM MISSÆ.

Nunc demum ſacroſancta incipiunt Myſteria, & actiones plenæ Divinorum arcanorum, in quibus perfectiſſime tota Servatoris noſtri Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio, &c. a Sacerdote repræſentatur, juxta illud ipſius Chriſti mandatum: *Hoc facite in me-*

am commemorationem; & illud 1. Cor. 11. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Hinc S. Chryſoſt. homil. 10. in acta: tempus hujus Sacrificii, *horrendam horam* appellat, *quæ nihil aliud, vel minus in ſe habeat, quam ultima Cœna, & mors Chriſti;* & Thom. Kemp. ſalubriter monet lib. 4. cap. 2. *Ita magnum tibi videri debet, cum Miſſam audis, ac ſi eadem die primum Chriſtus in cruce moreretur.* Eſt ergo Miſſa quaſi quædam imago, ſeu repræſentatio Paſſionis Chriſti, in qua velut in aliqua Tragœdia producuntur ſingula Myſteria, quæ in ea acta ſunt, agente perſonam Chriſti ipſomet Sacerdote, donec ipſemet Chriſtus per conſecrationem in ſcenam inductus, ſuas partes ſuſtineat Quanta ergo Sacerdos opus habebit attentione, quanto fervore, & devotione, ut ad vivum Deo Patri, totique cælo in theatrum hoc intento, tantam Perſonam repræſentet cum decoro? Dividemus igitur totam Miſſam in certas partes & actus, quaſi quasdam ſcenas, & inductiones, ſecuti in hoc, uti & in aliis multis, exemplum P. F. Franciſci ab Arco, Ord. S. Franciſci, in libello ejus de Myſteriis Miſſæ conſcripto. Me-

tus

Digitized by Google

tus eſt ad hanc methodum ſervandam dictus Auctor, præcipue auctoritate Toleti in ſumma lib. 1. c. 4. ita idipſum commendantis: *Qui Miſſam celebrat, non ſolum offert Corpus Chriſti, & Sanguinem, ſed etiam repræſentat Chriſti oblationem; unde repræſentando offert, & offerendo repræſentat, ad modum Tragœdiæ alicujus, in qua repræſentatur Regis factum, & ille Rex, cujus factum repræſentatur, in Tragœdia illa vere introducitur.*

Inchoanda ergo erit Miſſa Seraphico quodam fervore, ſuaviter hæc, quæ ſubjiciam, aut ſimilia, ad libitum proprium ruminando, inter quæ actus conare elicere ſemper quam heroiciſſimos. Ut autem id tibi facilius eveniat, frequentius extra Sacrum partem aliquam Miſſæ, per tertium modum orandi S. Ignatii meditandam accipe; qui modus meditandi in hoc conſiſtit, ut verba illius ſingula, per ſpatium circiter unius AVE MARIA, perpendas & examines: quid indicent, ad quem, & a quo dirigantur &c. ut ita pientiſſime ſenſum eorum quaſi imbibens, & tuum proprium faciens, facilius & ſuavius deinde in ipſo Sacro affectus in iis contentos exerceas. Porro antequam aſſueſcas initio his affectibus eliciendis, ob defectum me-

Digitized by Google

moriæ & exercitii (vitanda eſt enim omnino nimia ſolicitudo, & quidam violentus conatus, multos ex iis eliciendi) pauculos aliquos, qui magis arridebunt, principio elige, & ſola interim mente Domino voluntatem dicendi Miſſam offer, cum omnibus iis affectibus, qui hic ſcripti ſunt. Sicut enim multa peccata in confuſo expetita, ſunt multa demerita, ita multi actus v rtutum etiam in confuſo deſiderati, ſunt multa merita, præſertim ſi in particulari præterea ſuper aliquos te reflectens, eoſdem explicite Divinæ Majeſtati præſentes.

PARS I. MISSÆ.

Myſteria Paſſionis Chriſti ab Oratione in horto, uſque ad condemnationem ejus coram Pilato, repræſentata per Introitum, Epiſtolam, Evangelium, Offertorium &c. uſque ad Canonem excluſive.

REPRÆSENTATIO I.

Acta in horto uſque ad comprehenſionem. Confeſſio Sacerdotis uſque ad aſcenſum ad Altare.

Sacerdos ad pedem Altaris deſcendens, & ſtans in medio, junctis manibus ante pectus

ctus, pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito in modum Crucis, incipit Miſſam. De conſtrictis manibus ante pectus, ait Nicol. Rom. Pont. ad cauſas Bulgarorum reſcribens, fieri id humilitatis gratia, quia in Evangelio ligari manus reprobrum reperiuntur. Quaſi dicat orans: Domine, ne ligari manus præcipias, quia ecce eas ipſe ligavi, & in flagella paratus ſum, *hæc ille.* Item junctio manuum, devotionem ſignificat, & manus ſupplices fatentur ſe ſupplicio dignas eſſe. Et bene pollex dexter ſiniſtro ſuperponitur: forma enim hæc per modum Crucis, excitat ad humilitatem, & devotionem. Et in ipſa ligatura tali manuum, Crucem oculis Dei Patris objiciendo, ad miſericordiam, & ſolutionem vinculorum promeritorum, eum hoc aſpectu Crucis flectere velle videmur: conſueto reis more, qui iratum Judicem ad miſericordiam flectere volentes, chariſſimum aliquid præferentes, ejus aſpectui objiciunt, per illius quaſi gratiam & amorem, miſericordiam flagitantes. Inſuper hoc modo videtur formari nodus vinculi manuum, feliciſſimo ſane Crucis vinculo, quod per Crucem ſeipſo ſolvitur: *Per Crucem enim liberati ſumus.*

Sacerdos ſtans ante infimum gradum Altaris, facit Cruci vel Altari profundam reve-

rentiam, vel ſi in eo aſſervetur Venerabile Sacramentum, genua flectit. *Myſterium.* Chriſtus Dominus in horto incipiens *pavere, & tædere, triſtis & mæſtus uſque ad mortem, & in agonia eſſe, procidit in faciem præ reverentia*, (qui ordinarius ejus Orationis ſitus erat) coram DEO precaturus. Matth. 26. Reverentiam hanc, ſeu capitis inclinationem, profunde ſemper, quantam vires & conditio tua patietur, itemque genuflexionem uſque ad terram facies, cum deſiderio ſub terram, & ad infernum uſque te coram Divina Majeſtate deprimendi. Et ſic inclinatum caput collumque, offer DEO ad Martyrium pro fide, vel pietate, generoſo animo amittendum. Audi, quantum per hoc ſpiritualis lucri facias! B. Joanna a S. Catharina de ſe ſcribit in vita ſua; aliquando ut me ſtimularem ad quæſtum ſpiritualem ex omnibus colligendum, numeravi nos per annum in Officio Divino facere 50200. profundiores corporis inclinationes, minores vero 19480. quæ una conficiunt 59680. actus Religionis, virtutis poſt Theologicas præſtantiſſimæ. Vis ſcire, quot ejusmodi inclinationes in uno Sacro Deo exhibeantur? obiter eas numeravi (certus enim numerus iniri non poteſt, propter variationem, & multi-

pli-

plicationem earum, ſi Venerabile Sacramentum exponi, aut nomen JEſu ſæpius repeti contingat) & fiunt in quolibet Sacro minimum, minores 42. majores 12. faciunt per annum, ſi quotidie Sacrum legas, minores 15320. majores 4380. univerſim 19700. Fructum vero ex his ferventer & devote factis, accipe ex ſolitudine P. Barry, ubi refert de Moniali quadam Bononienſi, Joanna de Lino: hæc adhuc ætate tenera, vidit beatiſſimam Virginem tot roſas ſinu ſuo excipere, quot inclinationes & reverentiæ corporis a Monialibus in Monaſterio S. Marthæ, coram illius imagine exhibebantur; quo viſo illa commota, eodem in loco vitam religioſam amplexa eſt.

Sacerdos deinceps producens manu dextra a fronte ad pectus ſignum Crucis, dicit intelligibili voce: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.*

Myſterium. Chriſtus Dominus ad objectam oculis ſuis ſub Oratione in horto Crucem, totus cohorreſcit, & ut eam a ſe auferri impetret, quamvis præ terrore factus in agonia, prolixius orat. En tibi in formata ſic Cruce, puriſſimam intentionem, qua in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, ad ejus ſolius gloriam te hoc Sacrificium, nulli alteri, quantumcunque Sancto, nec ipſi Chriſti huma-

nitati, prout a Divinitate præciſæ, offeribile, auſpicari proteſtaris. Potes idem proferre, cum Proteſtatione fidei contra hæreticos ſanctiſſimæ Trinitati derogantes, *omnes* eos anathematizando. Vel etiam cum ſuaviſſima recordatione Crucis Chriſti, & quodam tenero gaudio, quod eam in tuo corpore digitis exprimere poſſis. Cujus nos admonere videtur Eccleſia, cum in rubrica omnibus digitis, & non uno tantum, vel duobus, Crucem formari ſignate præcipit, quaſi inſinuando, ut omnes digitos, imo omnia membra, in effigianda, & pingenda Cruce occupari appetamus. Eoſdem & ſimiles affectus elicies, quoties deinceps crux efformanda occurret. Quoties autem teipſum cruce ſignas, ſemper ſiniſtram pone infra pectus, hoc geſtu, quaſi proteſtando te id vere ex corde, & intimo pectore ita ſentire & facere.

Inde jam non debet Sacerdos advertere (monet Rubrica) quemcunque in altero Altari celebrantem, etiamſi Sacramentum elevet, ſed conſequenter proſequi Miſſam uſque ad finem. Quibus verbis oſtendit Eccleſia, quantopere deſideret in Sacerdote omnimodam attentionem ex hoc momento, a quo Miſſa incipit, ad ea, quæ agit, melius judicans reverentiam aliquam, & honorem erga ſanctiſſimum Sacramentum ab alio offerendum omitti,

mitti,

Digitized by Google

mitti, quam vel tantiſper in hoc tremendo opere diſtrahi.

Sacerdos dicit: *Introibo ad Altare DEI* Miniſtro reſpondente: *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* *Myſter.* Chriſtus inter varios affectus timoris & fortitudinis, reſolutionis ad mortem, & ejusdem deprecationis (quod per totum deinceps Pſalmum *Judica*, uſque ad *Confiteor*, clarius patebit) modo calicem Paſſionis bibere decernit modo eum a ſe tranſire obteſtatur. In hoc verſu autem ſignate, non obſtante partis inferioris repugnantia, in voluntatem paternæ ordinationis ſe remittens reſolute ait: *Introibo* (non tantùm accedam, adibo, vel aſcendam, ſed prorſus in paſſionem & tormenta merſus, penitus intrabo) *ad Altare Dei*: (ſcilicet Crucem) & per eam ad Deum, *qui lætificat juventutem meam*: quandoquidem ita ordinavit Pater meus cæleſtis, dicens Iſa. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Et: *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Luc. 24.

Nota, omnino credibile eſſe, hæc eadem, quæ Sacerdos hic orat, a Chriſto Domino, vel certe plurima his ſimilia, in Oratione illa

trina fuiſſe prolata, & non ſola illa paucula ab Evangeliſtis inſinuata verba, cum expreſſe iidem dicant, eum ſingulis illis vicibus prolixius oraſſe, hoc eſt: ut communiter Interpretes ſentiunt, circiter una hora, univerſim ergo tribus horis.

Tu dum profers: *Introibo ad Altare Dei*, potes excitare in te magnum reverentiæ affectum erga hoc ſacrificium & Altare; eſt enim multo ſanctius, quam Rubus Moyſis, Mons Sinai, Tabernaculum Fœderis, Arca Teſtamenti, Sancta Sanctorum &c. quæ tamen ſumma reverentia DEus adiri volebat, ut morte ſecus facientes puniret. Ter autem repetitur: *Introibo ad Altare Dei*, bis a Sacerdote, ſemel a miniſtro. quia ter etiam Chriſtus Dominus in horto diverſis vicibus orans, toties in voluntatem Patris, & ad moriendum ſe reſignavit, dicens: *Si non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.*

Sacerdos cum miniſtro dicit integrum Pſalmum: *Judica me DEus*, (provocat Chriſtus Dominus ad tribunal Dei ab iniqua ſententia Judæorum, Pilati, Herodis) *& diſcerne cauſam meam de gente non ſancta* (alio aliquo genere mortis non tam doloroſo, vel non tam ignominioſo ut latronem, a tam ſcele-

leſtis, & ut S. Chryſ. putat, a dæmone obſeſſum, me affici permittendo) *ab homine iniquo & doloſo erue me*, (Juda Diſcipulo, & Caypha ſummo Pontifice, tanquam blaſphemum doloſe morti me tradere moliente) *quia tu es DEus fortitudo mea, quare me repuliſti? & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus?* (partim conqueritur ſe a Deo derelictum, partim ſe ipſum quaſi increpat de timiditate, & triſtitia) *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, (oſtende, quid de me ultimate decreveris: an non ſit amplius poſſibile calicem hunc tranſire a me, niſi bibam illum?) *ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua:* (voluntatis ſcilicet tuæ declaratio, ſemper a me impleta, ad omnia, quæ hactenus feci, me deduxit, præſertim in corpus humanum, quod merito vocat tabernacula Dei, quia in eo reſedit plenitudo divinitatis, fuitque tabernaculum totius ſanctiſſimæ Trinitatis) *Et introibo ad Altare Dei*, (ſi cognoſcam & hic non aliter te velle, nec aliter fieri poſſe, introibo etiam ad hoc Altare tuum Crucis, eſto adeo illud exhorreſcam) *ad Deum, qui lætificat juventu-*

Digitized by Google

ventutem meam, (dummodo per illud ad te perveniam, & voluntati tuæ ſatisfaciam, qui ſolus es lætitia juvenilis, hoc florentiſſimæ ætatis meæ, in qua mihi moriendum eſt, tempore) *Confitebor tibi in cithara*, (in corpore ſcilicet meo tanquam in chorda ſuper citharam Crucis extenſo & clavis attracto, flagellisque, colaphis, malleis, & lancea pulſato; Chriſtum enim S. Ambroſius vocat *Citharam Dei Patris*, juxta lilud Davidis Pſ. 56. *Exurge pſalterium meum, & cithara, exurgam diluculo*) *DEus DEus meus*, (ex magnitudine afflictionis geminato tennerime Deum in auxilium appellat) *quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* (denuo ſibi quaſi animos addens, ne ita triſtetur, ſe excitat) *Spera in Deo, quoniam adbuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus*, (licet, o portio mea inferior, extincta modo ad ſepulchrum deducaris, adhuc tamen mox rediviva pulchrior reſurges, ad rurſum confitendum illi pulchritudinem, in quam etiam Angeli deſiderant proſpicere, conciliando.) En tibi pulcherrime expreſſum, dolore, amore, & omnis generis affectibus, tanquam diverſis contrariis fluctibus exagitatum in prima hactenus oratione, cor Chriſti. Si tamen magis placet hæc omnia verba

Digitized by Google

ba tibi applicare, & in tua quaſi perſona proprio ſenſu ad Deum dicere, potes facillime, ſed hoc ipſum affectu & Chriſti ſenſu exprimere ſtude. In fine hujus Pſalmi addit Eccleſia: *Gloria Patri &c.* cum profunda corporis inclinatione dicendum: in gratiarum nempe actionem Chriſto Domino, pro omnibus iſtis angoribus, in prima ſua oratione, noſtri cauſa perpeſſis.

Incipit denuo Sacerdos; *Introibo ad Altare Dei &c.*

Myſter. Chriſtus Dominus a prima oratione viſitatis Diſcipulis, & inventis illis dormientibus, majore denuo cordis anguſtia oppreſſus, ad orationem redit, & triſtitiam excutere tentans, ad moriendum & offerendum ſe Deo in holocauſtum ſuper Altari Crucis, ſe extimulat. Sed magnitudine doloris & tædii victus totum ſe in Dei manus projicit, nihilque in ſe opis inveniens, ab ipſo ſolo auxilium ſperat, dicendo: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Quæ verba dicendo Sacerdos ſe cruce ſignat, ad deſignandum, in ordine ad quid Chriſtus adjutorium ſuum poſuerit in nomine Domini, ſcilicet in ordine ad crucem perferendam. Dum hæc verba profers, excita etiam, quam potes, intenſiſſimum Spei Theologicæ affectum, quo ſperes a Deo quadruplex beneficium: 1.

pro

pro conſequenda æterna ſalute. 2. pro gratia ad ſuperanda omnia adverſa, tentationes, & peccata. 3. pro ſpiritualibus mediis ad magnam ſanctitatem aſſequendam tibi concedendis. 4 pro illa peculiari neceſſitate, vel negotio, pro quo Sacrificium offers.

Sacerdos profunde ſe inclinans dicit *Confiteor*, non ſe prius erigens, quam miniſter abſolverit: *Miſereatur tui &c.*

Myſterium. Chriſtus Dominus ex una parte, objecta ſibi atrociſſima morte, ex altera vero tot hominum ingratiſſimorum, nihil paſſionem & ſanguinem ſuum reverentium, peccatis, animo præ dolore linquitur, & in terram concidit, videns ſe tanta, tamque infanda, nullo pene fructu pati debere, cum tamen vel unica gutta ſufficeret infinitis hominibus redimendis. Cum igitur & tua, o Sacerdos, peccata, & tot ingratitudines, vivaciſſime tunc præ oculis habuerit, dicendo, *Confiteor*, conare elicere quam intenſiſſimam contritionem de illis, cum firmiſſimo de cetero non peccandi propoſito, ut ſic Domino tuo affli̇ctiſſimo dolorem minuas. Is enim, cum hora illa in horto omnia futura præviderit, (nam juxta multorum Sanctorum opinionem, tunc totam circa ſingulos homines prædeſtinationem ordinavit) etiam hanc

tuam.

tuam contritionem præſcivit, & ex ea aliquod ſolatium in extremis illis anguſtiis ſenſit. Trina pectoris percuſſio, triplicis generis peccata hic deteſtanda ſignificat. Cogitationis, oris, operis. Qua percuſſione proteſtare, percuſſione & pœnis te dignum eſſe.

Miniſter reſpondet: *Miſereatur tui omnipotens Deus, &c.*

Myſter. Angeli Pacis amare flentes, & Domino intime compatientes, ſolatium ei a ſanctiſſima Trinitate ferri exoptant, utpote cui peccata noſtra in ordine ad pœnam, tanquam propria imputabantur.

Ad precationem Miniſtri (uti & alias, quoties occurrit) dicendo *Amen*, id eſt, *fiat*, dicas id cum intimo ſenſu & affectu, optando ferventiſſime per merita Chriſti ita fieri.

Nota: Miniſtrum totam Eccleſiam repræſentare, orando pro te *Miſereatur*, ad indicandam in Eccleſia Catholica communionem Sanctorum: & quod tu, ſi vivum ejus membrum fueris, omnium ejus meritorum & orationum particeps ſis futurus, uti & omnes participes fiunt tui Sacrificii quod pro tota Eccleſia, tam in mundo militante, quam in Purgatorio patiente offers. Abſoluto a Miniſtro *Miſereatur*, erigit ſe Sacerdos, & erectus ſtat.

My-

Myſterium. Chriſtus Dominus ſecundo ab oratione ſurgens viſitat Diſcipulos ſuos: ſed nihil ab eis dormientibus ſolatiii recipiens, mox ad orationem tertio jam redit.

Miniſter recitat *Confiteor.*

Myſterium. Angelus confortans apparet Chriſto Domino tertio jam oranti, & humillimam ſanctorum Patrum e limbo petitionem, & tot millionum hominum peccata ſua cognoſcentium confeſſionem, ei repræſentat: qui omnes æternum cælo excludendi eſſent, niſi ipſe per mortem eos redimeret.

Sacerdos reſpondet: *Miſereatur veſtri &c.*

Myſterium. Chriſtus Domin. hac Angeli confortatione & verbis perceptis, intima hominum commiſeratione tactus, optat omnino ſalutem hominum, & peccatorum remiſſionem eis a Deo Patre precatur, ſed adhuc enormis ſupplicii ſubeundi horrore abſterritus, præ magnitudine interioris in animo luctæ, ſanguinem toto corpore ſudat.

Nota hæc omnia, & jam paulo ante ſuperius dicta, confirmari, eoquod Miniſter non ſuo privato, ſed totius mundi nomine dicit *Confiteor.* Unde tu pro eo viciſſim orando *Miſereatur*, non dicis *Miſereatur tui*, ſed

Mi-

Miſereatur veſtri: hoc autem orando, precare ex intimis animæ viribus miſericordiam a Deo, & remiſſionem peccatorum omnibus hominibus, mortuis quoad pœnam, vivis autem etiam quoad culpam. Quod ut facias tanto cum majore fervore, imaginare ante pedes tuos totum orbem, & totum Purgatorium in genua & faciem provolutam, & pro ſe orari lamentabiliter poſtulantem, ut ſupra.

Sacerdos ſtans & cruce ſe ſignans, dicit: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum noſtrorum &c.*

Myſter. Non contentus Angelus ſuperiore Chriſti Domini erga homines affectu & compaſſione, eum ad reſolutionem ultimatam ſubeundæ Crucis excitat, oſtendendo, non alium eſſe modum ex decreto Dei homines ſalvandi, & indulgentiam ac abſolutionem peccatorum eis obtinendi, niſi per ejus mortem & Crucem, (unde etiam Sacerdos inter hæc verba Crucem effigiat) totius inſuper naturæ humanæ deſiderium & petitionem, clamoresque ſanctorum Patrum e Limbo miſerabiles, vivacius adhuc quam ante ei proponit, ſupplicantium illi bis ipſis verbis: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum noſtrorum tribuat nobis* (per toleratam Crucem, cum aliud non ſuppetat re-

me-

Digitized by Google

medium) *omnipotens & miſericors Dominus.* Favet meæ huic expoſitioni, quod Sacerdos non dicat: *Indulgentiam, &c. peccatorum veſtrorum tribuat vobis*, quia hæc verba non in perſona Chriſti pro hominibus, ſed in perſona omnium hominum Chriſto per Angelum ſupplicantium, vel certe in perſona Chriſti Domini quidem, ſed ut peccata noſtra in corpore ſuo portantis dicit. Quibus auditis Chriſtus Dominus ingenti cum violentia ultimate tandem ſe reſignat dicendo cum Miniſtro Sacerdoti ad hæc verba reſpondente *Amen*, ergo fiat. Et mox voluntatem Patris, quaſi exoſculans, Crucem ambabus manibus amplectitur. Ad quod exprimendum Epiſcopus celebrans, hic primo Manipulum (quo ſuperius lacrymas, gemitus, dolores, adeoque & Crucem deſignari diximus) exoſculans, ſuper lævum brachium aſſumit.

Sacerdos profunde ſe inclinans dicit: *DEus tu converſus vivificabis nos.*

Myſterium. Chriſtus Dominus jam ſic reſolutus, offert caput ſuum proſtratus ad omnia, quæ ipſe ordinaverit, ſubeunda, & ſolatur ſe fructibus ex paſſione ſua ſecuturis, & ut eos Pater æternus concedat, precatur. *DEus tu converſus* (ex irato in propitium)

vivi-

Digitized by Google

vivificabis nos, (me quidem poſt triduum mortis cum ingenti corporis gloria, alios vero propter merita mea in die Judicii) *Et plebs tua* (modo afflictiſſima) *lætabitur in te. Oſtende nobis* (omnibus hominibus, quorum peccata in me aſſumpſi,) *Domine miſericordiam*, *&* *ſalutare tuum da nobis*, (gloriam & viſionem beatam) *Domine exaudi orationem meam*, *&* *clamor meus ad te veniat*, (per totius ſcilicet Paſſionis tempus, inter tot dolores ad te emiſſus.)

Sacerdos dicit: *Dominus vobiſcum*, ac ſe denuo erigit.

Myſter. Chriſtus Dominus oratione ita demum concluſa, a loco illo ſurgens, venit ad Diſcipulos ſuos, excitatosque monet orare, ne intrent in tentationem, & ita Dominum a ſe per gratiæ amiſſionem deperdant.

Quotiescunque dices *Dominus vobiſcum*; dicito id cum maximo affectu, ſinceriſſime optando, & apprecando omnibus in toto Univerſo hominibus, ut Dominus ſit cum illis. 1. Gentilibus, Infidelibus, hæreticis per fidem. 2. Cum peccatoribus per gratiam. 3. Cum afflictis & tentatis per auxilium & ſolatium. 4. Cum animabus purgatorii per viſionem beatificam. Sisque certus, eos

ſic

Digitized by Google

ſic adjutos, viciſſim pro te oraturos, tibique precaturos: *Et cum Spiritu tuo.*

REPRÆSENTATIO II.

Comprehenſio Chriſti Domini, & acta apud Annam & Caipham. Aſcenſus Sacerdotis ad Altare, introitus, &c. uſque ad finem Epiſtolæ.

Sacerdos extendens & jungens manus clara voce dicit: *Oremus*, & aſcendens ad Altare dicit ſecreto: *Aufer a nobis quæſumus Domine*, *&c.*

Myſterium. Chriſtus Dominus videns adventantem Judam, monet Diſcipulos: *Surgite eamus, ecce appropinquavit, qui me tradet*; perrexitque ei obviam, invocans tunc quam maxime internis gemitibus auxilium Dei Patris, illis vel ſimilibus Judithæ verbis: *Confirma me Domine DEus in hac hora.* Judith. c. 13.

Tum, dum iſtud oras, excita denuo affectum deteſtationis, erga omnia prorſus peccata etiam venialia. Et cum dicendo *Oremus*, extendis, & mox conjungis manus, collige in ſpiritu, & conſtringe intra manus tuas omnium adſtantium corda, ea tecum ſur-

ſurſum ad Altare delaturus, ut omnes a peccatis tecum expurgati, *ad ſancta ſanctorum puris mereantur mentibus introire*, & de fructu tui Sacrificii participare.

Sacerdos ad medium Altaris perveniens, manibus junctis ſuper Altare, inclinatus dicit: *Oramus te Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt, &c.* & oſculatur Altare, extenſis hinc inde ſuper illud manibus id amplectens.

Myſterium. Judas amplectendo Chriſtum oſculatus eſt eum, & ſatellites manus injicientes in JEſum (quem ſuperius etiam per Altare deſignari dicimus) eum vinculis colligarunt. Tu vero Altare hic oſculando, fac iſtud ex intimo erga Chriſtum affectu, quaſi manibus extenſis eum amplexatus oſculareris, & intende per hoc compenſare ſceleratum illud nefarii Judæ oſculum. Univerſim vero, quoties ex præſcripto Miſſalis ſuper Altare manus conjunctas locabis, cogita eas te ſuper Chriſtum ipſum, tanquam victimam pro peccatis, collocare, uſitata in veteri Teſtamento cærimonia, qua peccata ſua a ſe quaſi in victimam transferebant, quæ ipſa pro illis occiſa, morte ſua expiaret. Quando vero oſculaberis Altare, facias hoc ex reverenti puriſſimi amoris affectu, erga Deum, ac res ejus, & utramque manum pone ſuper

Corporale, & illud, non mappam Altaris (quæ non eſt æque ſacra) oſculare, tanquam puriſſimam ſyndonemDomini tui, idque non extra lapidemPortatilemSanctorum reliquias continentem, ſed eo in loco, in quo reliquiæ ſunt repoſitæ, hæc enim omnia ſanctiora ſunt, quam altera pars Altaris, vel mappæ longiores totam menſam Altaris tegentes. Porro in oſculis figendis, fige illa ex tenero affectu erga D. JEſum, ibi prorſus, ubi repones Hoſtiam conſecratam, ea vero conſecrata, locum quam maxime illi propinquum: nam cor amore fervidum, ſi non poteſt eſſe intra rem a ſe amatam, cupit eſſe rei amatæ quam proxime conjunctum, & arcte unitum Dum oſcularis autem hoc modo Altare, præter amoris affectum excitare potes actum fidei & religionis, honorando oſculis illas res & loca conſecrata Eccleſiaſtica benedictiene, inique ab Hæreticis irriſa, & in quibus Dominus tuus corporaliter jacere ſolet, Unde da operam, ut hæc tanto ſpiritu facias, quanto faceres, ſi vel Chriſti cunas, vel propriam ejus ſyndonem, (uti revera eſt) aut veſtem oſculareris.

Si in ſolenni Miſſa imponendum ſit thus comburendum, quoties illud impones, Altare incenſabis, vel candelas accendi videbis, præter actum Religionis, qui per hoc DEO exhibetur, deſiderabis inſuper, ita pro eo conſu-

Digitized by Google

ſumi & annihilari, nihil præter gratiam ejus tibi retinendo, quemadmodum cera & thus, per ignem annihilatur.

Sacerdos oſculato Altari, manibus junctis, accedit ad cornu Epiſtolæ, lecturus introitum.

Myſterium. Chriſtum captum, manibusque fortiter conſtrictum, ducunt primo ad Annam, de doctrina & diſcipulis ſuis examinandum.

Sacerdos ſtans in cornu Epiſtolæ, ſignat ſe ſigno Crucis, & dicit Introitum.

Myſterium. Chriſtus Dominus ad Annam adductus, tribus maximis afficitur injuriis, a Petro perfide negatur: a Pontifice velut impoſtor de doctrina examinatur: a ſervo Pontificis graviſſima alapa percutitur, ita ut copioſum ſanguinem ex ore profundens, in terram corruerit, lividamque deinceps maxillam retinuerit. Quæ contemplans Sacerdos & vehementer admirans, cruce ſe quaſi per admirationem ſignat; & proteſtando quodammodo non eſſe eum talem, ut negationem ejus a Petro factam contraria confeſſione compenſet, profunde ſe Crucifixo verſus medium Altaris inclinans dicit; *Gloria Patri, & Filio, &c.*

Sacerdos junctis manibus accedit ad medium Altaris, dicitque una cum Miniſtro al-

Digitized by Google

ternatim ter Kyrie eleiſon, ter Chriſte eleiſon, & iterum ter Kyrie eleiſon.

Myſterium. Chriſtus Dominus a trina hac ab hominibus ſibi irrogata injuria, ad Deum ſe convertens quaſi provocat, per primum ternum Kyrie eleiſon ad Deum Patrem contra negationem Petri, quæ facta eſt per ſubreptionem ſeu fragilitatem, quæ peccata opponuntur Omnipotentiæ Dei Patris. Per Chriſte eleiſon, adverſus colaphum Pontificii ſervi appellat ad Deum Filium, quia is inflictus ipſi eſt ex ignorantia ejus divinitatis & innocentiæ, & quaſi neſciviſſet alloqui Pontificem, quod peccatum opponitur Sapientiæ Filii. Per ultimum Kyrie eleiſon queritur contra nequitiam Annæ, captioſe ſe ad mortem quærentis, apud Spiritum ſanctum, quia hoc peccatum fuit ex mera malitia, adeoque opponitur Bonitati & ſanctitati Spiritus ſancti. Et ita per hanc trium Perſonarum invocationem, & ad eas recurſum, miſericordiam & auxilium divinum implorat.

Tu dicendo Kyrie eleiſon primum ter, potes per illud petere, ut Deus noſtri miſereatur, & bonitatem ſuam erga nos oſtendat in iis, quæ ſpectant ad animam. Per Chriſte eleiſon, in iis, quæ ſpectant ad corpus. Item per Kyrie eleiſon, in iis, quæ ſpectant ad bona noſtra externa. Vel quia tu

alter-

alternando cum Miniſtro dicis 4. Kyrie eleiſon, ſemel Chriſte eleiſon, prima duo Kyrie potes ordinare ad vulnera duo manuum Crucifixi, per ea miſericordiam Dei flagitando: Chriſte eleiſon ad latus: ultima duo Kyrie ad vulnera pedum.

Sacerdos extendens & jungens manus (qui geſtus modo quidem deprecantis, modo aliquid quaſi capientis, modo ſupplicantis, modo adorantis eſt) caputque inclinans, dicit *Gloria in Excelſis.*

Myſterium. Sacerdos ut tanto efficacius Chriſti innocentiam & divinitatem contraria confeſſione aſſerat, hymnum hunc Angelicum plenum altiſſimis Chriſti titulis recitat, & eum verum Deum & Creatorem ſuum coram cælo & terra proteſtatur. Ubi nihil eſt, quod moneam, niſi ut diligenter prius ſingula hujus cantici verba meditatus, ea Seraphico, ſi potes, ſpiritu proferre coneris. Primo dicendo *Gloria in Excelſis DEO:* opta hanc Deo gloriam ex puriſſimo benevolentiæ affectu, quia Deo bona eſt, nihil tuum vel ullius creaturæ bonum reſpiciendo. Uti & dum dicis: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam:* exprime hoc cum ſinceriſſimo gaudio, gratulando Deo omnia ejus bona intrinſeca & extrinſeca, quia ad ipſius præciſe conducunt honorem & glo-

riam, & gratias ei agendo, quod ita glorioſus, ita magnus, ita infinitus &c. ſit, ex puriſſimo erga illum amore; illum affectum Auguſtini, quantum potes, exprimendo, ut, ſi poſſes eſſe Deus, & Deus deberet eſſe Auguſtinus, malles non eſſe Deus, & manere Auguſtinus, ne Deus Deus eſſe ceſſare cogeretur. Dein etiam præcipue cum ingenti affectu immorare verbis illis: *Tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus, JEſu Chriſte*: & ampliſſimum in illis glorioſiſſimorum affectuum campum invenies.

Sacerdos oſculatus Altare, ad populum ſe convertens, extenſis ac mox iterum junctis manibus precatur: *Dominus vobiſcum.*

Myſterium. Sacerdos Chriſtum ad Caipham ab Anna mittendum quaſi amplectens & oſculans, populum etiam ad eum ſequendum, & ad diligenter myſteriis his attendendum hortatur, monendo, ut ſolum DEum apud ſe jam habeant, nihil profanum, nihil impertinens cogitando, vel attendendo. Quod idem viciſſim illi populus exoptat, dicendo: *Et cum Spiritu tuo.* Tu quoties dices: *Dominus vobiſcum*, ex ſincero benevolentiæ affectu opta illum cum omnibus manere, ſic, prout quisque indiget. Quæ apprecatio ſine dubio eſt efficaciſſima cum

ſe

Digitized by Google

ſe habeat per modum benedictionis, quæ ex vi impoſitionis manuum ab Epiſcopo in Sacerdotis ordinatione, plurima bona confert, præſertim ſi ferventer illa fiat, juxta illud: *Quidquid benedixeris, erit benedictum.* Et juxta illud Chriſti Domini ad Apoſtolos Luc. 10. *Primum dicite: pax huic domui; & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra.* Idem autem eſt dicere *Pax vobis*, & *Dominus vobiſcum*; unde Epiſcopi pro his verbis priora illa in Miſſa uſurpare ſolent. Ad hoc ipſum indicandum, dum dicit: *Dominus vobiſcum*, extendit, & jungit manus, copioſam ex hac ſua apprecatione benedictionem populo ſuperventuram iſto geſtu indicans: juxta illud Pſal, 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Semper etiam hanc tuam apprecationem extendas quam latiſſime in univerſum mundum, nec hominibus tantum, ſed & ratione carentibus, & inanimatis rebus optando bona a Deo illis convenientia, idque ob reſpectum, quem hæc omnia ad Deum habent, tanquam illius creaturæ; & hoc titulo digniſſimæ ſunt, ut omne bonum illis deſideremus. Eſt enim Sacerdos in mundo loco Dei, perſona juriſdictionem latiſſime in creaturas omnes hoc

in genere habens, ita ut, cuicunque ipſe bene precatur, eidem etiam Deus ipſe bene precari (niſi aliud aliquid obſtet) cenſeatur. Potes etiam, quoties ad populum ſic te convertens, extenſis iterumque junctis manibus dicis: *Dominus vobiscum*, cogitare, quaſi corda omnium manibus ita in unum colligens contineas, eadem mox ad Altare te convertens Deo & Crucifixo præſentaturus, ut ille affectibus & deſideriis omnium benigne annuat.

Sacerdos junctis manibus, poſt dictum *Dominus vobiscum*: pergit ad cornu Epiſtolæ.

Myſterium. Chriſtus apud Caipham bis judicio coram toto concilio Judæorum ſiſtitur, & acerrime ſimul ac falſiſſime accuſatur. Primo ipſo veſpere ſeu nocte comprehenſionis ſuæ, quando ab Anna ad domum Caiphæ, ubi jam Principes & Seniores convenerant, transmiſſus eſt: & hoc judicium, in quo necdum quidquam certi concluſum, nec Dominus JEſus, ad mortem adhuc condemnatus fuit, ſignificatur per orationes ante Epiſtolam dici ſolitas, quæ modo plures, modo pauciores, nullo certo numero dicuntur, *quia multi falſi teſtes*, Evangeliſta teſte, (de quorum tamen numero nihil certi ſcitur) contra Chriſtum *acceſſerunt*, *noviſſime vero*

Digitized by Google

vero cum duo falſi teſtes acceſſiſſe, ſignate in Evangelio notentur, ſemper Eccleſia omnes orationes, etſi plures ſint, quam duæ, duplici tamen dicto *Oremus*, bis itidem tantum ſubjungens: *Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.* concludit. Et ideo etiam Sacerdos, ſive cum dicit *Oremus*, ſive *per Dominum noſtrum &c.* faciem & pectus ac manus ad Crucifixum in medium Altaris inclinatus convertit, hoc geſtu quaſi proteſtando contra teſtes illos, Chriſtum Dominum ab omni ſcelere & culpa innocentiſſimum fuiſſe. Secundo judicio oblatus fuit ibidem mane die ſequenti cum diluxiſſet, ubi Pontifex ipſe Caiphas doloſe eum interrogavit, & adjuravit: *Dic nobis, ſi tu es Chriſtus?* & ſciſſa veſte primum ipſe, ac dein Concilium univerſum, reum mortis eſſe pronuntiavit. Hoc adumbratur in Epiſtola & Graduali. In Epiſtola, quæ ex Prophetis, vel aliis ſacris litteris deſumitur, ſignificatur interrogatio Caiphæ ad Chriſtum de ejus divinitate, ac tandem ejusdem ab eodem condemnatio, quia penes ſummum Pontificem erat donum Prophetiæ, unde etiam de Caipha S. Joannes dicit: *Cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit.* Per Graduale vero & Tractum, quæ ex pluribus diver-

Digitized by Google

fisque verſibus & ſententiis concinnata ſunt indicatur promiſcuus ille totius Concilii Chriſtum ad mortem condemnantis clamor: *Reus eſt mortis*. Bene etiam, dum Lectio & Graduale legitur, manus non erectæ, ſed ſuper librum vel Altare collocatæ tenentur, per hoc enim vetus apud Judæos in judiciis cæremonia deſignatur, qua is, qui alterum reum mortis poſcebat, manus ſuper eum ponebat (*Poſuerunt manus ſuas duo ſenes presbyteri ſuper caput Suſannæ, & condemnaverunt eam ad mortem. Dan.* 13.) cum igitur in hoc ſecundo judicio per Epiſtolam & Graduale ſignificato, a Caipha & Concilio ad mortem Chriſtus fuerit condemnatus, ſub utriusque recitatione manus ſuper librum, (qui Chriſtum paſſim in Scriptura ſignificat) poſitæ tenentur. Sed nunc hæc in particulari penſiculatim magis explanemus.

Dum dicis *Oremus*, memor, te non privato nomine, ſed totius Eccleſiæ & omnium fidelium perſonam gerentem orationes has dicere, tanto fervore eas dicere conare, ut, quantum eſt poſſibile, tu unus ea pietate illas ad Deum, eaque efficacia tranſmittas, qua omnes ſimul, ſi eas orarent, id facturi eſſent. Idem pronunciando, dum vultu obverſo, & manibus ad Crucifixum protenſis, eum hoc geſtu quaſi invitas, roga eum, ut ipſe

pſe has tuas orationes cum ſuis meritis conjungat, & ipſe tecum, imo ſolus potius, pro te tantum tanquam ſuum inſtrumentum oret. Unde omnes orationes ſemper illa pulcherrima clauſula finiuntur: *Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.* ut diſcamus inde, omnes petitiones noſtras per Chriſtum D Deo offerre, per quem incredibilis ſtatim valor illis accedit. Dicuntur etiam orationes manibus extenſis Moyſis exemplo, qui Exodi 17. tenebat manus extenſas ad Deum ſuper verticem montis orans pro populo, *cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Quando autem in fine orationis dicitur: *Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c* vel: *Qui tecum vivit & regnat*, conjunguntur manus, quaſi preces ſuas Sacerdos cum meritis & orationibus Chriſti conjungat & uniat, & ita unitas divinæ Majeſtati præſentet, & per illas Deum exoret, tanto certius effectum optatum habituras.

Quoad numerum Orationum dicendarum, ſuadet P Lancicius, in Miſſis de feria, de feſto ſimplici, & de B V. in Sabbato, dicere ſeptem Orationes, quia tunc iſtud permittunt Rubricæ Miſſalis, & preces iſtæ intra tempus Sacrificii dictæ a Sacerdote, juxta probabiliſſimam multorum Theologorum

ſententiam, ceteris partibus magis ſunt imperatoriæ ob Sacrificii præſtantiam, quam ſi dicantur extra Miſſam. Dici autem poterunt hoc modo: loco tertiæ Orationis, quando certa non præſcribitur in Miſſali, ſed datur ad libitum, dic illam: *Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur &c.* uti ſolebat facere S. Philippus Nerius; vel illam: *DEus refugium noſtrum, & virtus.* In his enim præcipue, quibus egemus, petitiones noſtræ continentur. Quarta ſit gratiarum actio pro beneficiis, poſita poſt Miſſam votivam de SS. Trinitate: *DEus, cujus miſericordia non eſt numerus, &c.* Quinta ſit de Spiritu S. *DEus, qui corda fidelium, &c.* Sexta ſit illa pro omni gradu Eccleſiæ, qua petitur: *Ut ab omnibus ſtatibus Deo digne & laudabiliter ſerviatur.* Septima pro ſe ipſo Sacerdote. Epiſtolam legendo, ita eam vere legas cum maxima attentione & reverentia, tanquam epiſtolam, ſive litteras D. Dei ad nos datas, paratus omnia facere, quæ in illis ab illo præſcribuntur, ideoque etiam ſuper Miſſale manus ponis, quaſi hoc attactu & impoſitione manuum ſuper illud, devote Deum (quod fit in juramentis ſolennibus) in tui hujus propoſiti teſtem invocares. Vel ſi mavis potius, non ſimpliciter manus tantum ponere ſuper Miſ-

ſale

ſale, ſed illud. quaſi apprehendendo utraque manu tenere (liberum enim hoc Rubricæ permittunt) facias hoc, quaſi præ deſiderio & amore legendi divinam ad te datam epiſtolam, avide apprehendens, cum proteſtatione quadam, te nunquam e manibus illam tibi eripi paſſurum, vel eam dimiſſurum, juxta illud Prov. 8. *Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abjicere eam: beatus homo, qui audit me &c.*

REPRÆSENTATIO III.

Chriſti Domini apud Pilatum accuſatio, flagellatio, &c. per Evangelium, Offertorium &c. figurata.

Sacerdos abſoluta Epiſtola & Graduali, manibus junctis, pergit ad medium Ataris, & interim Miniſter librum a cornu Epiſtolæ ad Evangelii locum transfert.

Myſterium. Chriſtus Dominus a Concilio Judæorum totam Synagogam repræſentante, ad mortem condemnatus, tanquam impoſtor & falſus Meſſias ab ea rejicitur, & gentilibus traditur; ad quod deſignandum Liber Miſſalis, Chriſtum & legem Gratiæ ſignificans, transfertur a dextra Sacerdotis, a cornu ſcilicet Epiſtolæ, Synagogam, tunc Deo fidelem, referente, ad cornu Evange-

lii, hoc eſt ad gentes in ſiniſtra tunc parte conſtitutas. Tu pro hoc beneficio intime Chriſto Domino gratias age, quod ita etiam tibi ex gentibus vocato, datum ſit eſſe membrum illius Eccleſiæ.

Sacerdos in medio Altaris conſiſtens, elevatis ad Deum oculis, & mox iterum demiſſis, profunde ſe inclinans, dicit ſecreto; *Munda cor meum, ac labia mea &c.*

Myſterium. Chriſtus Dominus in itinere ad Prætorium Pilati, non tam procedens, quam violente a Judæis tractus, identidem a vinculis, quibus arctiſſime aſtringebatur, & malitia Judæorum, intime ſuſpirat, cælum ſuſpectat, & humillime capite inclinato incedit.

Tu in dicta oratione, agnoſce incredibilem primitivæ Eccleſiæ æſtimationem, quam oſtendit erga Evangelium & verba Chriſti, adeo, ut vel pro ſola eorum ſimplici recitatione, & lectione, tam humiliter a Deo voluerit gratiam per duplicem præviam orationem poſtulari, ut indignitatem noſtram agnoſcamus, qua non tantum inſufficientes, prout loquitur S. Paulus, ſed etiam indigniſſimi ſumus pronunciare ſolum nomen JEſu ſine Spiritu ſancto & gratia illius. Petes igitur cum intima compunctione & contritione in illis precatiunculis munditiam cordis & oris, utramque ad digne & utiliter

evan-

Digitized by Google

evangelizandum perneceſſariam, ne tibi dicatur illud Pſalmi 44. quod Origeni jam lapſo Scripturam ad interpretandum caſu aperienti, eveniſſe memorant: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? quia os tuum abundavit malitia &c.* Unde quam potes demiſſiſſima, & abyſſali quadam humilitate ferſentiſſime, dic: *Jube Domine benedicere, &c.* ac tum veluti ex throno ſanctiſſimæ Trinitatis, benedictione ad Evangelium ſuum legendum a Filio Dei percepta, capite ei prius in Crucifixo reverentiam exhibens, procedis ad legendum Evangelium. Nec dubita ingentem fructum ex ſola digna Evangelii lectione conſecuturum, & in te, & in aliis, quando legimus in vitis tot Sanctorum, eos ex unica ſimplici Evangelii lectione mirabiliter converſos eſſe, vel alios etiam convertiſſe. Ita S. Franciſcus Seraphicus, ita S. Simeon Stylita, ille audito in Evangelio, quo omnia vendere, & dare pauperibus: iſte autem, quo beati pronunciantur flentes & lugentes, omnia ſua, perfecte Deo ſervituri, deſeruerunt.

Sacerdos accedit ad librum in cornu Evangelii, dicitque? *Dominus vobiscum,*

Myſterium. Chriſtus perducitur ad Prætorium Pilati, qui de eo interrogat populum:

Quam

Digitized by Google

Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc?

Tu dicendo hic *Dominus vobiscum*, ſpecialiter eum cum adſtantibus eſſe opta, in ordine, ad percipiendum magnum fructum ex auditione S. Evangelii, cujus ſola lectione, imo & ſola Evangeliorum libri ſuper energumenos impoſitione, dæmones e corporibus, ſpectra e domibus fugantur, & maxima miracula patrantur.

Sacerdos pronunciat *Initium*, ſive *Sequentia S. Evangelii* (id eſt, boni nuncii) & ſignat pollice librum, ac tum ſe ipſum in fronse, ore, pectore.

Myſterium. Pontifices cum Judæis accuſant Chriſtum de impoſtura, de perverſa doctrina, de ſeditioſe populo per conciones concitato, de arrogata divinitate &c. Quæ crimina tanquam falſiſſime Chriſto impoſita, anathematizans Sacerdos dicit *Initium*, vel *Sequentia* (eorum, quæ lecturus eſt) eſſe *ſancti Evangelii*, hoc eſt, ſancti & boni nuncii eſſe cæleſtem & diviniſſimam doctrinam. Signat Evangelium cruce, ac tum quaſi ad ſe crucem ex illo transferens, ſignat & ſe in fronte, ore & pectore, alio longe ſenſu deſiderans, & ipſe portare cum S. Paulo improperium Crucis & Paſſionis Chriſti, quam

pe-

petierint Judæi clamantes: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Idem enim hic, ſed ſaniſſimo ſenſu expetit hoc geſtu Sacerdos, non tantum quia deſiderat participare de meritis ejus paſſionis, ſed etiam, quia cupit quam proxime Chriſtum imitari in ferenda cruce, & eam in ſe transferre, adimplendo cum eodem S. Apoſtolo in corpore ſuo ea, *quæ deſunt paſſionibus Chriſti*, ſignatque hac, ut ſic dicam, Evangelica cruce primo frontem, ut non erubeſcat doctrinam Chriſti (frons enim eſt ſedes erubeſcentiæ, pudoris vel audaciæ) ſecundo os, ponendi ori ſuo & labiis circumſtantiam crucis, ut nihil niſi ſecundum Chriſti loquatur doctrinam. Tertio demum pectus, *ut ſignaculum ponendo* crucem ſuper cor ſuum, in ſola Chriſti doctrina delectatum ſe deinceps proteſtans iri, *ſicut in omnibus divitiis*, paratumque ſe eſſe etiam objectu pectoris, ad ultimam uſque ſanguinis guttam Evangelium defendere. Si in ſolenni Miſſa incenſatur Evangelium, & plures candelæ ad ejus lectionem accenduntur, tu ex his Eccleſiæ cæremoniis, agnoſce magnam ipſius reverentiam erga illud, itaque pro Evangelii defenſione & obſervantia conſumi deſidera, ſicut thus & cera igne conſumitur. Populus etiam ad Evangelii lectionem ſurgit, cum alias ſem-

Digitized by Google

per flectat, in ſignum, quod paratus ſit ad obediendum Evangelio, & currendam viam mandatorum Dei. Aliquæ nationes hic etiam gladios, vel frameas evaginant, in protestationem, ſe pro defenſione Chriſti doctrinæ, vitam & ſanguinem profundere paratos eſſe. Circa lectionem Evangelii nihil aliud monendum occurrit, niſi ut illud quam reverentiſſime, tanquam verba Chrſti, & cum animo ac deſiderio omnia in illo contenta opere ipſo explendi, legas. Myſterium vero, quod per lectionem Evangelii ſignatur, eſt magnum illud & mirabile prorſus Chriſti ſilentium, inter tot accuſationes apud Pilatum, *ita, ut miraretur Præſes ipſe vehementer.* Unde hic Chriſto ſilente, Sacerdos quaſi loco ipſius cauſam illius ſuſcipiens, verba S. Evangelii (quæ ſunt ipſiſſima Domini dicta) recitat. Sacerdos perlecto Evangelio, oſculatur Evangelium dicens: *Per Evangelica dicta, deleantur noſtra delicta.*

Myſterium. Pilatus ſuſcipit cauſam Chriſti, & boni amici partes multas explet, conando eum eripere de manibus Judæorum, id quod oſculum libri, amicitiæ ſymbolum deſignat: ideoque ad Hærodem eum remittit. Tu oſculum iſtud figito ex magno amore Chriſti & Dei, amando ejus omnia præcepta

cepta & conſilia, & ex ſincero & igneo benevolentiæ affectu, cum magna reverentia oſculare librum, tanquam verba Chriſti multo ardentius, quam ſeculi homines oſculari ſoleant, vel capiti ſuo præ reverentia imponere literas Majeſtatis a Principibus ſuis ad ſe transmiſſas, & ſimul deſidera, ſi potes librum hunc cum Joanne in Apocalypſi deglutire, atque ita ad ipſum cor intime hæc verba Chriſti recondere, juxta illud: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Sacerdos ad medium Altaris rediens, extendit, elevat & conjungit manus, dicitque (ſi dicendum ſit) *Credo in unum Deum &c.*

Myſterium. Judæi admirandas horrendasque blaſphemias apud Herodem, adverſus Chriſtum evomunt, ut malefactorem, blaſphemum, Dei hoſtem ad mortem petunt (*ſtabant enim conſtanter accuſantes eum*) in contrarium vero Eccleſia hic per Sacerdotem Chriſtum tanquam verum Meſſiam, æqualem Patri Deum confitetur, & breviter quaſi ipſius tacentis cauſam ſuſcipiens, omnia vitæ ejus myſteria recenſendo, ea omnia tanquam veri & æterni Dei facta agnoſcit, & veneratur. Et quia Judæi hæc Chriſto Domino magnis clamoribus, magna contentione auferre tentabant, ideo ſymbolum inchoans

Digitized by Google

choansSacerdos etiam tam vario geſtu, elevans manus, extendens & jungens (quæ ſigna ſunt contentioſe aliquid facientis) eadem Chriſto profeſſione fidei ſuæ attribuere conatur. Inſuper ad verba illa: *Credo in unum DEum:* caput inclinat, deſignando ſe in gratiam Chriſti captivare intellectum ſuum in obſequium fidei. Tu in ſymboli recitatione vide, ut ardenti ſpiritu proferas omnia ejus verba, actus ferventes fidei verbis correſpondentes, eliciendo, in mente anathematizando contrarias hæreſes. Et dum Dei & Chriſti beneficia, Creationis, Paſſionis, ac noſtræ Redemptionis &c. commemorantur, adjunge internos gratitudinis & amoris ergaDeum & Chriſtum teneros affectus. Præſertim vero, dum ad verba illa: *Et incarnatus &c.* genua flectis, fac hoc cum maximo ſpiritu, & Chriſtum recens incarnatum, & primo conjunctionis cum noſtra carne inſtanti hominem factum, intime adora, cum omnibus Angelis tunc ex mandato Dei Patris adorantibus, juxta illud Hebr. 1. *Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Dum autem Chriſti reſurrectio, Aſcenſio, Seſſio ad dextram Patris, Judiciaria poteſtas, & regnum fine cariturum memora-

ra-

Digitized by Google

ratur, excita internum gaudium ob hanc multiplicem gloriam Chriſti tui, quam ejus ſanctiſſimæ humanitati conceſſam gratulare. In illis verbis: *Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur*: adora SS. Trinitatem, non tantum ut in cælo, ſed ut ubique propter divinam immenſitatem exiſtentem, & nominatim in illis locis & perſonis, in quibus & a quibus hactenus eſt graviter offenſa peccatis, dolendo ob illa commiſſa, & cupiendo veluti compenſare hac adoratione ardentiſſima & profundiſſima injurias ei per peccata illatas. Qui affectus etſi longiuſcule explicantur, tamen experiere Dei beneficio, ſi ſenſim eos in praxim deducere cœperis, in uno quaſi momento, ſine ulla mora & difficultate, te eos eliciturum, & moroſum in lenta prolatione verborum non futurum. Crede expertis. Dicendo: *Et vitam venturi ſæculi, Amen*, excita magnum affectum ſpei, indubitate ſperans a miſericordia Dei, per merita Paſſionis & Crucis Chriſti (quæ ideo inter hæc verba efformatur) vitam æternam. Nec myſterio caret, quod Eccleſia ſymbolum non ſemper, ſed tantum diebus Dominicis, Feſtis Apoſtolorum & Doctorum, dici velit (in Miſſa enim Martyrum, Virginum, & Confeſſorum omittitur) cauſa enim myſtica eſt, quia Chriſtus coram Herode potiſſimum condemnatus, & ſpretus

fuit,

Digitized by Google

fuit, quaſi rudis penituſque ignarus, qui nec reſpondere & loqui ſciret: quam iniquam de ſe ſententiam cum potiſſimum Chriſtus refutaverit, per tam admirabilem Apoſtolorum, ex ſe alioqui rudium, & ſanctorum Doctorum ſcientiam, ideo in eorum feſtivitatibus, hoc de Chriſto coram Herode judicium, myſtice per ſymbolum recolitur, in aliis autem omittitur.

Sacerdos deinceps oſculatur Altare, & verſus ad populum, extenſis junctiſque manibus dicit: *Dominus vobiſcum*: & verſus Altare extendens & jungens manus, caputque cruci inclinans, dicit: *Oremus*: recitatque Offertorium.

Myſter. Pilatus ſpecie amicitiæ Chriſtum morti eripere tentans, exit ad populum dicens: *Nullam in eo invenio cauſam; corripiam ergo eum, & dimittam*, jubetque Chriſtum flagellari. Et congrue vocatur hæc oratio offertorium, quia Chriſtus in flagella ſe ipſum ſponte obtulit, juxta illud Pſal. 57. *Quoniam ego in flagella paratus ſum.*

Tu vero Altare oſculare, quaſi Chriſto jumjam ad columnam abripiendo hoc oſculo valedicturus, eumque amplexurus. Populum vero dum attentionis amplius, quam ante hac intendendæ commones, ei apprecando

cando *Dominus vobiscum*, collecta in unum manibus extenſis eorum corda tecum ad Altare referens, extenſis ibi rurſum manibus, ea humili capitis inclinatione, ad pedes Crucifixi depone, dicendo: *Oremus*: omnes ſcilicet ſimul, ut ſanguis per flagellationem mox effundendus, omnium noſtrum corda & conſcientias emundet. Et ita per Offertorium omnium hominum animas & corda Chriſto Domino flagellando præſentabis, petendo, ut ſuam flagellationem omnium bono & ſaluti applicare velit.

Sacerdos dicto Offertorio diſcooperit calicem, & diſcoopertum verſus cornu Epiſtolæ ſiſtit, deponitque pallam ſuper hoſtiam poſitam.

Myſterium. Chriſtus Dominus veſtibus ſuis furioſiſſime a carnificibus ſpoliatur, idque temere veſtibus hinc inde projectis, quas deinde Chriſtus, poſt flagellationem (ut habetur ex variis revelationibus) conquirere debuit, ad ad hoc deſignandum in diverſo loco calix denudatur, & in diverſo loco palla diſcooperitur.

Sacerdos Hoſtiam ſic jam apertam, ſuper patena ambabus manibus uſque ad pectus elevatam Deo offert, oculiſque ſurſum elevatis, & ſtatim dimiſſis, orat: *Suſcipe S. Pater &c.*

Myſte-

Myſterium. Sacratiſſimum Chriſti Corpus omnibus prorſus veſtibus ſpoliatum, totum nudum, & ſuper nivem & byſſum candidum, coram illa tota petulantiſſima militum corona apparet: ex qua nuditate ſua caſtiſſimus iſte ſuper omnes filios hominum Chriſtus Jeſus erubeſcens, cælum ſuſpectans, de cetero oculis præ pudore demiſſis, nec audet eos a terra elevare. Interim vero manibus furioſorum abreptus, inter mille ſpurciſſima convitia & opprobrioſas ſannas, ad columnam ligatur, ad quam ſic adſtrictus, totum ſe Deo Patri pro peccatis univerſorum hominum in hoſtiam placabilem offert, dicendo etiam: *Suſcipe ſancte Pater, omnipotens æterne DEus hanc immaculatam hoſtiam, quam ego filius tuus tibi hodie offero, &c.* Et hæc oblatio hoſtiæ dicitur oculis demiſſis, quia Chriſtus præ pudore nuditatis ſuæ, nec oculos elevare audens, in ſilentio nunc lacrymis ad Patrem orabat oculis demiſſis: *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam*, Pſal. 68. dicere tunc, ſi unquam alias poteris: *Ego vir videns paupertatem meam*, Thren 3. Tu hoc loco iſta præcipue obſervare poteris: in denudatione calicis, deſidera omnibus terrenis rebus, non ſuperfluis tantum vel illicitis, ſed licitis etiam, ſolis neceſſariis contentus

tentus

tentus in gratiam Chriſti expoliari, & reipſa nunc per affectum earum amore te exue. Deinde hoſtiam ſuper patenā dum ambabus manibus, hoc eſt totius ſpiritus conatibus Deo offers, profer omnia oblationis illius verba, majore quam quidquam hactenus fervore & ſenſu pietatis igneo, extendendo illam ad omnes illos fines, ad quos a Chriſto eſt inſtitutum hoc Sacrificium, & ab Eccleſia adhibetur; qui fines cum ſint maximi momenti (uti ſupra explicatum eſt, & deinceps magis explicabitur, debet hæc Hoſtiæ (uti & calicis deinde) oblatio fieri cum ſummo devotionis & fervoris ardentiſſimi affectu. In illis enim propriæ inchoatur actio ſacrificii incruenti, complenda in conſecratione panis & vini, & oblatione rerum conſecratarum, ac perceptione Euchariſtiæ & communione, ut probat Suarez. Proinde ſi tu ſolus eſſes in toto mundo Sacerdos, & retro haberes in ampliſſimo campo congregatos omnes prorſus homines, opem multiplicem a Deo per te, ut legatum generis humani expetentes, & innumeris ſuſpiriis, gemitibus, lacrymis, & clamoribus Dei miſericordiam pro tam multis neceſſitatibus poſtulantes, procul dubio conaneris has Deo oblationes offerre cum immenſo quodam ardentiſſimæ devotionis & fervoris affectu. Id etiam plane & nunc facito, quia nomine to-

Digitized by Google

tius mundi es ad hoc ipſum electus, & ſcis, quantopere ſoli homines egeant multiplici adjutorio & gratia Dei, tam vivi, quam de. functi: proinde eviſcera te quodammodo coram Deo, has ei oblationes offerendo, quia ex fervore in his oblationibus & conſecratione, elevatione, ac communione ardenter peractis, & Deo præſentatis, pro mundi, vel perſonarum aut negoriorum neceſſitatibus, maxime dependet efficacia & fructus hujus Sacrificii, & realis applicatio Chriſti meritorum, & auxiliorum divinorum multiplicium, ob Chriſti merita a Deo conferri ſolitorum. Nota inſuper differentiam, qua Hoſtiam & Calicem Eccleſia in Rubricis Deo offerri præcipit: hoſtiam enim vult offerri oculis primo elevatis, ac mox deinceps demiſſis, calicem vero ſemper oculis elevatis, & in Deum intentis. Ratio differentiæ eſt, quia in oblatione hoſtiæ Sacerdos ſe habet tanquam peccator, ut patet ex verbis, quæ profert in ſingulari: *Quam ego indignus famulus tuus offero tibi*. In oblatione vero Calicis gerit perſonam Eccleſiæ, Chriſti Sponſæ, abſque omni macula & nævo Deo placentis, uti patet ex ejus oblationis verbis, ubi nulla mentione peccatorum facta, ait in plurali: *Offerimus tibi Domine Calicem, &c*. ac proinde decet illum tunc

fixis

fixis oculis in Sponſi faciem aſpicere, juxta illud: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.*

Sacerdos poſt oblatam hoſtiam, patena ſignum Crucis ſuper corporali facit, & depoſita hoſtia patenam a dextris aliquantulum ſubtus corporale reponit, & poſtea reliquam totam purificatorio cooperit.

Myſterium. Divinitas per patenam ſignificata, Chriſtum in paſſione & tormentis & Cruce totaliter derelinquens, ſeſe aliquantum abſcondit, & permiſſa ejus humanitate pati, nullo ſeſe indicio ad tempus prodit. Firmat hanc opinionem Eccleſiæ conſuetudo, quæ patenam inauratam ſemper, quam fieri poteſt, eſſe vult, per aurum enim divinitas ſignificatur. Tu diſce hinc derelictiones a Deo & deſolationes pati, certus a Deo tanto uberius te paulo poſt viſitandum, uti & Chriſto Domino in cruce adhuc pendenti contigit. In Miſſis ſolennibus eadem patena datur Subdiacono tenenda velo operta, ad eandem rem indicandam, donec ab eo ad finem *Pater noſter* rurſus revelata accipitur, quia eo tempore ſub mortem Chriſti, rurſus Divinitas cœpit ſe per miracula manifeſtare.

Sacerdos in cornu Epiſtolæ vinum & aquam in calicem infundit.

Myſterium, Ex corpore Chriſti Domini diriſſimis lacerato flagris, copioſiſſimus ſanguis per vinum figuratus, & multæ lacrymæ in aqua ſignificatæ effunduntur. Quas tu in calicem congregatas tanto ferventius Deo offeres. Juxta verba autem, quæ in benedictione aquæ proferuntur. *Da nobis per hujus aquæ & vini myſterium, ejus Divinitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ fieri dignatus eſt particeps &c.* Vinum ſignificat Divinitatem, & aqua humanitatem noſtram, unde Sacerdos petit, ut, ſicut hic aqua cum vino permiſcetur, ita natura noſtra Divinitatis facta per beatitudinem conſors, cum illa per participationem viſionis beatificæ uniatur, juxta illud; *Similes ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt.* Ideoque non vinum, ſed ſola aqua benedicitur, & quaſi exorcizatur per Crucem, ut deſignetur, naturam humanam, per ſolius Crucis adminiculum ad hanc dignitatem evectam eſſe.

Sacerdos accipit manu dextra Calicem, & in medio Altaris ſtans erectis oculis, ambabus manibus eum Deo offert: *Offerimus tibi Domine Calicem &c.*

Myſterium. Chriſtus in ſanguine totus natans, & (ut quædam habet S. Brigidæ revelatio) ſolutus a columna, in eum præ debili-

bili-

Digitized by Google

bilitate collapſus, & ſeſe vo'utans, offert illum Deo Patri, in expiationem peccatorum noſtrorum.

Tu eodem ſpiritu & fervore Calicem Deo offeres, quibus ſuperius hoſtiam obtuliſti, quibus nihihil addendum occurrit, niſi ut advertas, ideo a Rubrica præciſe Calicem teneri in oblatione manu dextra mox infra cupam, ſeu nodum, ſiniſtra vero ipſum pedem: ad indicandum, juſtos in dextra figuratos propius, peccatores per ſiniſtram ſignificatos remotius accedere ad participandum de meritis ſanguinis Chriſti, in incruento Miſſæ Sacrificio.

REPRÆSENTATIO IV.

Spinea Chriſti Coronatio, & ad Crucem condemnatio, per Myſteria Miſſa, ab Offertorio ad Canonem uſque figurata.

Sacerdos calicem ſuper Altare collocatum palla cooperit.

Myſterium. Miniſtri Prætoris ſuſcipientes JEſum nudum, induunt eum chlamyde coccinea ad illudendum, & imponunt ſuper caput, plectentes coronam de ſpinis.

Digitized by Google

Sacerdos orat inclinatus profunde manibus junctis ſuper Altare collocatis: *In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito &c.*

Myſterium. Chriſtus Dominus a ſpinea corona vehementer debilitatus, toto capite in terram depreſſo, inter mille ſannas & convitia, ſuper vile ſcabellum intra coronationem conſidet, vere in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipi petens tunc a Deo, tam petulanter a dilecto olim populo irriſus & cruciatus.

Sacerdos erectus expandit manus, easque in altum porrectas jungens, levatis ad cælum oculis & ſtatim demiſſis, dicit: *Veni Sanctificator omnipotens æterne DEus &c.* & crucem ſuper oblata efformat.

Myſterium. Pilatus Chriſtum excarnificatum videns, totus cohorreſcit & admiratur (id quod Sacordos pleno admirationis geſtu ſuo exprimit) ideoque populum ad miſericordiam commoturus, foras eum producit dicens; *Ecce Homo!* Sed nihil emolliti hoc aſpectu Judæi, eum ad Crucem depoſcunt, unde etiam Sacerdos Crucem ſuper oblata efformat. Tu per geſtus illos, magnum deſiderium ſignificantes, invoca, & deſidera ardentiſſime Spiritum ſanctum ſuper oblationes tuas deſcendere, & deinceps

jam

jam reverentius oblata tanquam per adventum Spiritus ſancti conſecrata & benedicta, tracta.

Sacerdos ad conu Epiſtolæ procedens, Miniſtro aquam affundente, lavat manus, dicens: *Lavabo inter innocentes manus meas &c.*

Myſterium. Pilatus videns, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua lavat manus dicens: *Innocens ego ſum a ſanguine Juſti hujus, vos videritis. Et exclamavit univerſus populus: ſan- ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Id, quod revera factum eſt, nam præcipua mortis Chriſti culpa ad Judæos pervenit: ideoque Sacerdos manus in cornuEpiſtolæ, quod Synagogam ſignificare dicebam, abluit. Nihil ſpeciale monendum occurrit, niſi ut recitatione pſalmi: *Lavabo inter innocentes manus meas*, ſingula verba conſiderate proferas, & affectus illis congruos elicias: præcipue in verbis illis; *Ne perdas cum impiis Deus animam meam*, pete tibi prædeſtinationem & electionem ad gloriam, cujus magnum deſiderium & amorem in immediate anterioribus verbis elicuiſti, dicens:

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Sacerdos ad medium Altaris redux orat profunde inclinatus, manibus ſuper Altare poſitis: *Suſcipe SS. Trinitas hanc oblationem &c.*

Myſterium. Pilato ſedente pro tribunali ad judicsndum, Chriſtus Dominus humiliter ac demiſſiſſime adſtat, non detrectans æternus ipſe Judex ab humano Judice pro ſalute noſtra ad mortem damnari. Et difficulter præ ſpineæ coronæ aculeis, elevatis tamen ad Deum Patrem lacrymantibus oculis, hanc ſuam iniquiſſimam condemnationem offert SS. Trinitati. In his verbis immediate ad totam SS.Trinitatem directis maxime ferventer offer hoc Sacrificium ei in gratiarum actionem pro omnibus bonis præſtitis SS. Chriſti Humanitati, beatiſſimæ Virgini, SS. Apoſtolis, & omnibus aliis, per verba illa: *Quam tibi offerimus ob memoriam Paſſionis, Reſurrectionis &c.* Et hic actus valde ſublimis, & Deo gratiſſimus eſt, quia eſt puræ benevolentiæ & amoris, quo Chriſto, beatiſſimæ Matri, & Sanctis aliis bona eorum amamus, & hoc nomine pro iis, non aliter ac pro noſtris propriis, Deo gratias exhibemus. Sacerdos oſculatus Altare, vertit ſe

ad

Digitized by Google

ad populum, dicens: *Orate Fratres, ut meum & veſtrum Sacrificium &c.*

Myſterium. Datur ſignum populo (ut in condemnatione reorum apud Romanos moris erat) ut ad Chriſti & latronum judicium conveniat; id, quod per tubæ clangorem factum fuiſſe multi non improbabiliter autumant, quo populus ad ſimilia in prætorium convocari conſueverat. Sacerdos vero hoc geſtu & verbis populum commonet, ut ardentius jam, quam hactenus, precibus vacet, majora jam inſtare myſteria, nec peccatis ſuis acceptationem, & effectum Sacrificii ſui impediat. Deinde apte ad myſterium hic ſignificatum, quaſi dicit; ecce jam Redemptor noſter condemnandus eſt ad mortem. Et ſicuti in ſimili caſu dicere ſolemus, *Actum eſt*, nihil jam amplius remanet, niſi ut oremus pro illo: ita Sacerdos hic ad populum inquit: Actum jam eſt, jam peccata noſtra Chriſtum ad mortis condemnationem perduxerunt; proinde tamen orandum eſt, non quidem pro eo, ſed pro nobis ipſis, ut Paſſionem ſuam ſacram, per Sacrificium hoc quam efficaciſſime nobis applicare velit.

Sacerdos reſpondet ad orationem Miniſtri, *Amen*, & manibus extenſis dicit Secreta.

Myſterium. Secretum ſecretorum omnium maximum ab æterno arcano SS. Trinitatis tribunali decretum & concluſum, nempe deputatio & adjudicatio Chriſti ad mortem, per Pilatum tandem patefit, ſed longe diverſo modo & fine: ibi ex ſummo hominnm amore, hic ex ſummo Chriſti odio, ibi ex intentione ſalutis noſtræ, hic ex deſiderio proditionis & annihilationis Chriſti.

Sacerdos Præfationem inchoaturus, manibus hinc inde ſuper Altare poſitis, dicit: *Per omnia ſæcula ſæculorum &c.*

Myſterium. Indicatur hic ſolennis illa Veterum ſuperius jam inſinuata cæremonia, qua reis ad mortem damnatis manus imponebantur, quod idem hic in Altari Chriſtum referente ſervatur. Dicitur autem *Per omnia ſæcula ſæculorum*, clara voce, quia, ut monet Innocent. III. lib. 2. c. 7. *Non eſt hoc finis orationis tantum ſacreta, ſed & principium Præfationis ſimul.* Unde hunc ſenſum quaſi efficit; *Per omnia ſæcula ſæculorum, Gratias agamus Domino Deo noſtro &c.* Tenentur autem manus poſitæ ſuper Altare, etiam dum dicitur *Dominus vobiscum*, quia Sacerdos ſuper Dominum velut victimam veram ad mortem condemnatum

omnium

omnium hominum peccata imponit, optando ſimul, ut hac victima placatus Dominus, ſit, maneatque cum omnibus.

Sacerdos cum dicit: *Surſum corda*, elevat manus hinc inde extenſas uſque ad pectus.

Myſterium. Nunc incipiunt fortiori modo myſteria, quia Dominus ad mortem condemnatus, jam jam patibulo figendus, crucem bajulans educitur, & ideo efficacius corda ſurſum eſſe a terrenis elevnnda, verbis & geſtu monet Sacerdos. In vita S. Henrici Suſonis memoratur, eum hæc verba præ omnibus aliis Seraphico quodam fervore ſolitum eſſe pronunciare, ſic ut toto vultu inardeſcere videretur. Quod ita Cælitibus fuit acceptum, ut vice quadam ſuperni Genii inſtar Epheborum eum circumſtantes, viſi ſint certatim eum amplexari.

Sacerdos cum dicit: *Gratias agamus Domino DEO noſtro*, jungit manus, oculos elevat, ac cruci caput inclinat.

Myſterium. Excitat ſe & omnem populum ad gratias Chriſto agendas, cui proinde etiam caput ſubmittit, pro acceptata mortis ad crucem ſententia.

Sacerdos dicens præfationem, elevatis & extenſis manibus eam proſequitur.

Digitized by Google

Myſterium. Sacerdos per maximas Chriſti laudes in Præfatione contentas, revocat & injuſtiſſimam profitetur eſſe illius ad crucem condemnationem, pro qua tamen, quia prout a Deo procedens & decreta, fuit ſanctiſſima & juſtiſſima, Patri æterno gratias agit. Tu ut eam tanto dicas ferventius, expande cor ad omnia loca & tempora, & ad omnes creaturas, quibus Deus varia beneficia unquam tribuit, & ita ubique & ſemper, & loco omnium pro his gratias ardentiſſimas Deo agens dic; *Vere dignum & juſtum eſt, aquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere.* Nota autem: tam varios & multiplices geſtus, cæremonias, ac manuum capitis, oculorum, totiusque corporis motiones, ideo hic, & deinceps ad Canonis initium fieri, ut tanto concitatius populum omni quaſi modo, & conatu Sacerdos ad attentionem, devotionem & gratiarum actionem invitet, & efficaciter permoveat, dicendo: *Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli &c. Cum quibus & noſtras voces ut admitti jubeas, deprecamur, &c.* Agnoſce, & intime Chriſto gratulare ineffabilem ejus dignitatam, per quem omnes ſuas laudes, ex ſe quaſi nihil valentes, & acceptari indignas,

Ange-

Angeli & Sancti Deo offerunt, & ab ipſo dignitatem illis & valorem mutuantur. Cum quibus & tu tuas voces nomine totius Eccleſiæ prolatas, SS. Trinitatis laudes admitti petens, intende cum Chriſto ſimiliter per ipſum in unione meritorum ejus illas Deo depromere, *Supplici confeſſione dicentes.* Hic profunde corpore, quantum decentia & ſtatuus tuus patitur, vel animo ſaltem te inclinans, exemplo 24. illorum in Apocalypſi Seniorum, in facies ſuas ad terram procidentium, ad uſque ima inferni coram Dei Majeſtate te deprimere deſidera.

Sed nec illud myſterio caret, quod, dum noveni ſint Chori Angelorum, hic tantum in Præfatione quinque memorentur, Deum in cælis laudantes: *Majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, Cæli, cælorumque Virtutes, ac beata Seraphim.* Ubi manent alii, Archangeli, Throni, Principatus, Cherubini? audi Iſaiam dicentem: *Angeli pacis amare flebant*, morti nimirum innocentiſſimi JEſu compatientes, & cælos deſerentes. Quos tu pie contemplando, cogita, relictis aliis ad laudandum Deum in cælis, inſequentes Chriſtum in terris, ſub graviſſimo pondere Crucis preſſum, & peſſime ab omni-

bus tractatum deploraſſe. Vel etiam (quod non eſt minus verum) cogita illos relicto cælo tibi ad Altare adſtare, in tanto Sacrificio miniſtraturos, & obſequiis ſuis Domino in Euchariſtia deſervituros.

Sacerdos dicens: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus Sabaoth &c.* junctis ante poctus manibus, ſeſe profunde inclinat.

Myſterium. Chriſtus graviſſimo Crucis pondere preſſus & inclinatus, exit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, quem Sacerdos, eſto ſic attritum & humilitatum, verumtamen Deum profitetur, easdem laudes, verbis eisdem ei tribuendo, quæ ab Angelis Deo in cælis deferuntur, ſeſeque inclinans, & quaſi in terram proſternens, eum ut Deum adorat. Tu dicendo *Sanctus* ter, ſi malis, dirigere illud etiam potes ad tres divinas perſonas, conjungendo hanc earum adorationem, cum adoratione, quæ fit in cælis, per Angelos eadem verba proferentes, & ideo excita in te magnum fervorem, ut fervori Angelorum, quantum fieri poteſt, correſpondeat, maximo quaſi interno clamore, qui inter tantos infinitorum Angelorum jubilantium modos exaudiri poſſit, dic: *Sanctus, Sanctus, &c.*

Uſurpat autem inter reliquas Dei laudes Eccleſia hic eadem illa verba & voces Judæorum, quibus Chriſtum Dominica Palmarum

magni-

magnifice ſalutabant, *Oſanna in excelſis, benedictus, qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.* Per uſurpationem horum verborum indicans primo ſe omnino eum nunc agnoſcere & profiteri eundem talem, licet infami Cruce onuſtum, qualem ante quatriduum Judæi ſalutabant, glorioſum. 2. Quaſi admirans tam repentinam ex tanta gloria, in tantam ignominiam mutationem & metamorphoſim, ut, cui paulo ante acclamatum fuit: *Benedictus, qui venit*, nunc patibulari latronum ligno onuſtus audiat: *Maledictus, qui pendet in ligno.* Et ideo hæc verba proferens Sacerdos ſignat ſe Cruce, admirans hanc ſubitam mutationem, quia cum aliquid inexpectatum audimus, præ admiratione Cruce nos ſignare conſuevimus.

Sub his verbis Miniſter campanulam ter pulſat.

Fit id primo in honorem SS. Trinitatis, ad cujus laudes & Sacerdos trino *Sanctus* dicto, & Miniſter terno pulſu populum excitat. 2. Ad repræſentandum ritum Romanorum, hodieque a multis Urbibus receptum, ubi tot ſigna ære campano vel tuba dantur, quot rei ad ſupplicium educuntur. Cum igitur hic Chriſtus ducatur cum duobus latronibus, id ipſum trino tintinnabuli ſigno denotatur.

PARS

Digitized by Google

PARS II. MISSÆ.

Myſteria Paſſionis Chriſti a condemnatione ad mortem in cruce, & ſepulturam, repræſentata, per Canonem ad communionem uſque incluſive.

REPRÆSENTATIO I.

Bajulatio Crucis uſque ad montem Calvariæ, Canon Miſſæ uſque ad Communicantes, & memoriam venerantes.

Pars hæc Sacaificii eſt primaria, ſummeque arcana continet myſteria, in qua non tantum Chriſtus in perſona Sacerdotis pro ſe vicaria, ſed ipſe vere in perſona propria realiter inducitur: in qua, omnia verba, & ſinguli apices tanti ſunt ponderis, ut graves non defuerint Auctores, putantes vel nomen Sancti alicujus unicum in eo, vel aliud quid tale omittere, vel immutare, eſſe peccatum grave

ve. Certe Sanctus quidam in eo legendo, quod ſemel fuiſſet diſtractus, occaſione carnis in vicinia alicubi aſſæ, & odore ſuo appetitum & orexim in illo excitantis, adeo ſibi ob hoc delictum iraſci cœpit, ut in omnem deinceps vitam eſum carnium ſibi prorſus interdiceret. Tanta etiam in veneratione ſemper apud primævos Chriſtianos fuit, ut Catechumenos, aliosque Baptiſmi expertes, ante ejus inchoationem templo omnino exigerent, id, quod miraculo etiam prodigioſe confirmare Deus voluit in vita S. Benedicti, quando duas Moniales in gratia quidem mortuas, ſed ab excommunicatione monaſtica, neſcio, quas ob culpas in vivis non abſolutas, ſub Canonem e ſepulchro & templo foras eo uſque fecit exire, donec a S. viro jam etiam demortuæ a pœna illa abſolverentur. Videat ergo Dei Sacerdos, ut novo fervoris & devotionis incremento (quam aliqua brevi recollectione, & mentis in Deum reflexione procurare poterit) hæc Sancta Sanctorum ingrediatur.

Sacerdos elevatis aliquantum manibus & oculis ad Deum: & ſine mora devote demiſſis ac junctis, & ſuper Altare poſitis, profunde inclinatus, ſecreto dicit, *Te igitur clementiſſime Pater.*

Myſterium. Chriſtus Dominus cruce gravi preſſus, ſæpius in cælum ſuſpirat, & lacry-

erymoſos tollit oculos, ac identidem in terram prolabitur. Cui Sacerdos geſtibus iſtis ſuis, qui valde magnam admirationem, devotionem, & ſubmiſſionem indicant, ſe vehementer compati oſtendit, & efficaciſſime ad Deum Patrem ſe convertens, eumque ad hoc ſpectaculum quaſi invitans, ab eo miſericordiam per Filii ejus ita afflicti merita & amorem flagitat. Ideo autem totus Canon (ſi paucula verba excipias) ſecreto dicitur, ut primo myſterium cruis & mortis Chriſti repræſentatum, cum ſacro quodam horrore, timore, reverentia, & attentione recolatur, quos omnes affectus ſilentium indicat.

2. Quia Chriſtus Dominus intra tempus illud, quo in cruce pependit, & quo ad Calvariam crucem bajulavit, vix quidquam clare locutus, ſecreto Patrem ſuum precabatur.

Notanda hic etiam venit ſingularis energia & emphaſis particulæ iſtius: *Igitur. Te igitur clementiſſime Pater*, qui, ſi tam atrociter propium filium caſtigas, longe atrocins ages nobiscum nequam ſervis, per illum rogamus. Vel. *Te igitur clementiſſimr Pater*, quandoquidem aliunde auxilium vel remedium conſequi eſt impoſſibile, ergo *per JEſum Chriſtum Filium tuum &c.*

Sacerdos poſitis ſuper Altare hinc inde manibus, illud oſculatur.

My-

Digitized by Google

Myſterium. Beatiſſima Virgo, prout refert S. Bonaventura, & alii varii Sancti, obviat Crucem bajulanti Chriſto, ejusque collo incidens, inter amoris & doloris deliquia ei maternum oſculum, & ultimum vale impertit. Cujus affectui in Altaris oſculo, & quaſi amplexu, pulcherrime ſe conformare poteſt Sacerdos, Chriſti pedibus velut accidens, illique ſe tenerrime commendans.

Porro ſingula deinceps Canonis verba ſunt penſiculatim, & quaſi meditate, ſed ſine affectatione vel prolixitate, enuncianda, ſingula enim ſuum pondus habent, & a plurimis Pontificibus, ac SS. Apoſtolis valde operoſe ſunt impoſita, adeo, ut multi unum vel alterum verbum ei addere ſatis habuerint: oſtendentes per hoc, quanta in veneratione ſint habenda. S. Gregorius Magnus ſola hæc verba Canoni inſeruit: *diesque noſtros in tua pace diſponas.* Sanctus vero Leo, itidem cognomine Magnus, præciſe verba: *Sanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam.* Et ita ea pronunciabat S. Ignatius, & alii Viri ſanctiſſimi, quorum bene longum Catalogum recenſet P. Lancicius Tomo 2. lib. 1. de Sacerdot. c. 13. ſic enim pronunciata dabunt materiam pulcherrimis conſiderationibus & affectibus.

Sacer-

Sacerdos erigit ſe, & manibus ante pectus junctis, ſignat ter ſuper oblata dicens: *Hæc dona, hæc munera, &c.*

Myſterium. Dona dicuntur, quæ a Superiori dantur inferioribus. Munera, quæ ab inferiori ſuperioribus.. Sacrificia, a creatura ſoli Deo. In quibus explicatur triplex reſpectus Chriſti. ſeu Paſſionis ejus, primo enim eſt *donum: quia nobis natus, nobis datus eſt,* in noſtrum bonum a SS. Trinitate. 2. Eſt *munus*, dum viciſſim a nobis datur, in *munus* præclariſſimum & gratiſſimum, juxta alia verba ejusdem Canonis infra ſequentia: *Offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis ac datis.* 3. Offertur ſpeciatim ab ipſo Chriſto, & a nobis ut *Sacrificium*, in recognitionem ſupremi ejus in omnia dominii, tam in ordine ad vitam, quam mortem. Et non dicitur in ſingulari hoc donum, hoc munus, hoc Sacrificium, ſed in plurali, *hæc dona, hæc munera, hæc Sacrificia*: quia hoc unum Sacrificium omnibus aliis ſacrificiis & donis æquivalet, eaque omnia infinite præcellit: eſt enim Sacrificium & Euchariſticum, ſeu laudis & placationis, & holocauſti &c. Signantur porro hæc, & benedicuntur ad ſingula verba, trina cruce, ut indicetur primo, omnem hunc triplicem valorem,

rem,

rem, & iſtorum donorum pretium, vim ſuam accipere a cruce & paſſione Chriſti. 2. Quod hæc omnia, ut mereantur, dignaque fiant, quæ Deo a nobis offerantur, debeant prius ab ipſo Deo benedici, & ſic ad hoc aptari: unde Sacerdos hanc trinam benedictionem, non ſuo, ſed Dei nomine exprimit, prout ipſis verbis fatetur, dum a Deo petit dicens: *Uti accepta habeas, & benedicas hæc dona &c.* fatendo per hoc incredibilem miſeriam & paupertatem humanam, qui nihil Deo offerre poſſumus dignum, ut ab eo acceptetur, niſi ipſe prius id ipſum benedicat, & dignificet, juxta illud S. Jacobi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum.*

Hic etiam obiter nota ineffabilem excellentiam hujus Sacrificii, cujus materia quantumvis remota, & per verba conſecrationis annihilanda, ſcilicet panis & vini ſubſtantia, tot oblationibus, tot benedictionibus expiatur, & aptatur, ut tandem inſerviat ad ponendum pro ea, per veram transſubſtantiationem corpus & ſanguinem Chriſti.

Sacerdos proſequitur: *Inprimis, quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua S. Catholica, &c.*

Digitized by Google

&c. una cum famulo tuo Papa noſtro N, & Antiſtite noſtro &c.

Myſterium. Invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, & coegerunt eum, ut tolleret Crucem Chriſti. Unde apte hic oratur pro Pontifice & Antiſtite (quorum primus fuit itidem Simon Petrus) hi enim non debent ſe ingerere, ſed inviti debent aſſumi ad portandum onus hujus miniſterii, quod revera eſt Crux Chriſti, *Onus*, ut loquitur Conc. Trident. de reform. Seſſ. 6. 15. *Angelicis humeris formidandum.* juxta illud: *Nemo ſumit ſibi honorem, niſi, qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

Sacerdos junctis manibus facit Memento pro vivis,

Myſter. Chriſtus Dominus flentes Mulieres mortem ſuam, eumque ſequentes, converſus alloquitur: *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros &c.* Id, quod non dixit eas reprehendendo ſed hortando, ut ſua & filiorū ſuorum peccata defleant, & proprias ſuas, Filiorum ceterorumque amicorum neceſſitates meminiſſe velint, & hoc dolore eis ſatisfactionem & medelam ex paſſione ſua provenientem applicent. Unde Sacerdos huic monitioni obtempe-

temperans, commendat Deo ſe, & alios ſuos Conſanguineos, notos, & quoscunque alios, quibus ſpecialiter vult ſatisfactionem, merita Paſſionis, ſuique Sacrificii applicari.

Ut autem facile commendandos omnes in memoriam ſuo *Memento* revocet, vix alia commodior praxis videtur, quam ſi omnes ſub ſex Grammaticales declinationum caſus revocet. Id, quod hac ratione fieri poteſt.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, in virtute hujus ſacroſancti & incruenti Sacrificii, per merita D.N. JEſu Chriſti, beatiſſimæ Virginis, & omnium Sanctorum, per paterna infinitæ miſericordiæ tuæ viſcera, quos omnes tibi Deus meus optimo, quo poſſum affectu, & puriſſima gloriæ tuæ intentione commendo.

Sub Nominativo: 1. Seipſum & neceſſitatem, pro qua celebrat, & omnes alias neceſſitates & perſonas, ſibi de nomine commendatas. 2. Omnes perſonas, & res magni nominis, neceſſitates Eccleſiæ, & publicas, Pontificem, Cæſarem, Reges, Epiſcopos, Principes, Superiores, Religioſos Ordines &c. averſionem belli, peſtis, famis, &c.

Sub Genitivo: Genitores, Fratres, Conſanguineos, Patriam, Amicos, Progeniem

totam,

totam, & ceteros quomodocunque ſanguine junctos.

Sub Dativo: Omnes Benefactores, corporales & ſpirituales, & quicunque quocunque modo boni aliquid ipſi fecerunt, vel dederunt: vel ad id cooperati ſunt.

Sub Accuſativo: Omnes Perſecutores, Inimicos & Adverſarios ſuos, qui quomodocunque male faciunt, volunt, aut male fecerunt, aut voluerunt, vel ejus amicis, Patriæ, Regno, Eccleſiæ. Denique pro omnibus privatis & publicis hoſtibus.

Sub Vocativo: Omnes vocatos ad ſervitium Dei, perfectionem, & viam meliorem & qui bona deſideria habent. Item agonizantes, qui vocantur ad alteram vitam.

Sub Ablativo: Omnes Infideles, Gentiles, Hæreticos, Peccatores & quocunque modo ab Eccleſia, vel ejus meritis & fructibus ablatos & avulſos. Item afflictos, infirmos, egenos, injuriatos, captivos, incarceratos, quibus ſua ablata ſunt, vel ſolatiis & commodis neceſſariis ſunt orbati.

Horum omnium miſerere, Pater miſericordiarum, ſicut ſcis & vis, gratiam eis concedens, ut perfectiſſime tibi placeant, te agnoſcant, timeant, ament, glorificent nunc, & in æternum.

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdos extenſis manibus, proſequitur Canonem: *Et omnium circumſtantium &c.* uſque ad *Communicantes.* Idem hic adhuc myſterium deſignatur, in quo omnes etiam Sacrificio præſentes, non tantum corpore, ſed etiam animo & deſiderio commendantur. Ex quo patet, quam laudabilis & utilis ſit illa piorum devotio, ut quoties ad Sacrum pulſari audiunt, toties intime deſiderent (quia per negotia & occupationes impoſſibile eſt omnibus intereſſe) illud, & omnia alia per totum orbem Deo oblata, audire, & de eorum fructu participare: quia tunc revera de illis participant, & ſpeciatim, quaſi de nomine & actu præſentes, ſub hac omnium circumſtantium mentione, a Sacerdote Deo commendantur. Atque hoc præcipue motivo conabatur Fideles ad quotidie, & cum ſumma reverentia & devotione audiendum Sacrum excitare S. Joannes Chryſoſt. hom. 21. in cap. 9. Actorum, ita loquens: *Magnus honor, nominari a Sacerdote Deo præſente, dum mors illa celebratur, & horrendum Sacrificium, & ineffabilia Sacramenta. Sicut enim ſedente pro tribunali Rege, quæcunque quis voluerit, perficit, ubi autem ſurrexerit, quæcunque dicit, non fruſtra dicit: ita & tunc quamdiu propo-*

ſita fuerint myſteria, omnibus eſt honor maximus in memoria haberi. Sicut enim quando Regum trophaa ſtatuuntur, tunc celebrantur quidem, & quicunque ſocii victoriæ fuerunt: dimittuntur autem, qui ſunt in vinculis per illud tempus: ubi autem tranſierit hoc tempus, qui nihil aſſecutus eſt, nihil obtinet. Ita ſane & hic &c.

Porro ex formula & verbis, quibus omnium circumſtantium neceſſitates Deo commendantur, elucet iterum infinita hujus Sacrificii præſtantia & valor. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro ſe ſuisque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibiquè reddunt vota ſua &c.* In quibus manifeſte oſtenditur, quod hoc unicum Sacrificium, omnem valorem & efficaciam aliorum veterum ſacrificiorum eminenter contineat. Ut non immerito putent multi Viri ſanctiſſimi, cauſam, cur totus mundus jam pridem non interierit, & quod aliqui adhuc ſalventur, & non omnes peſſumeant, huic uni Miſſæ Sacrificio acceptam deberi.

RE-

Digitized by Google

REPRÆSENTATIO II.

Chriſti Crucifixio, uſque ad ejuſdem cum Cruce elevationem. Continuatio Canonis uſque ad Conſecrationem.

Sacerdos ſimiliter ſtans proſequitur: *Communicantes, & memoriam venerantes &c.*

Myſterium. Chriſtum ad clivum montis Calvariæ perductum, carnifices, ac milites circumſiſtunt, alii veſtes ei detrahentes, alii crucem terebrantes, alii alia crucifixioni aptantes, ut vere tunc dicere potuerit. *Circumdederunt me canes multi, tauri pingues obſederunt me.* In quorum antiphraſin, juxta illud Pſ. 49. *Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinent Teſtamentum ejus ſuper Sacrificia:* Eccleſia ſancta congregat ad hoc Sacrificium inſigniores Aulæ cæleſtis milites, cum quibus communicat longe ſalubrius, quam Judæi communicaverint cum gentibus illis crucifixionis miniſtris, valorem & activitatem mortis Chriſti, cujus virtute cum & ipſi triumphaverint, glorioſique facti ſint, ideo per interceſſionem illorum, rogat divinæ protectionis auxilio muniri. Nullus autem hic recenſetur

alius, niſi ſoli Martyres, hi enim præcipui ſunt Aulæ cæleſtis purpurati, quos ſolos in hoc cruenti Sacrificii memoriali, utpote ſanguine etiam ſuo rubricatos, oportebat collocari.

Conſtituat igitur ſibi Sacerdos, ex iſtorum præclariſſimorum Heroum ſpectaculo pulcherrimum hic theatrum, & ſingulos ad eorum prolationem cum Paſſionis ſuæ inſtrumentis præſentes contempletur.

In primis glorioſæ ſemper Virginis MARIÆ, tanquam Reginæ Martyrum, cujus animam pertranſivit gladius adeo acerbus, ut aliqui Sancti putent dolori illi, ferendo, quem tunc ipſa divinitus experta eſt, omnes omnium hominum naturales vires non fuiſſe ſuffecturas.

PETRI, primum Hieroſolymis flagellati a Judæis, ac dein Romæ inverſo capite crucifixi.

PAULI, ter virgis cæſi, ſemel lapidati, ſæpiſſime carceribus, fame, nuditate, verberibus afflicti, ac demum Romæ decollati,

ANDREÆ, duobus diebus vivi in cruce pendentis.

JACOBI, ſcilicet majoris, fratris Joannis Evangeliſtæ, ab Herode ſecuri percuſſi.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS, quem diligebat JEſus, in oleo frixati Romæ, & veneno potati.

THOMÆ, In India lanceis confixi.

JACOBI, ſcilicet minoris e pinnaculo templi Hieroſolymitani præcipitati, & fullonis inſtrumento cæſi.

PHILIPPI, Cruci affixi, in eaque lapidibus obruti.

BARTHOLOMÆI, poſt ſuam vivi excoriationem, triduo adhuc viventis, ac tum demum capite truncati.

MATTHÆI, ad ipſam Aram, poſt oblatum Miſſæ Sacrificium, interfecti.

SIMONIS, in Perſide ſerra crudeliter diſciſſi.

THADDÆI, ſimul cum Simone in Perſide lancea interempti.

LINI, primi poſt Petrum Pontificis Romani, pro fide decollati.

CLETI, Succeſſoris Lini, ſimili morte defuncti.

CLEMENTIS, Cleti Succeſſoris, anchora ſuper collum alligata, in mare demerſi.

XYSTI, itidem Papæ, cujus Archidiaconus fuit S. Laurentius, capite cæſi.

CORNELII, Papæ plumbatis cæſi, & capite truncati.

CYPRIANI, Epiſcopi a ſcriptis nominati, eodem cum Cornelio die, ſed non eodem loco interempti.

LAURENTII, glorioſiſſimo Martyrio, cum vivus in craticula aſſatus fuit, defuncti.

CHRYSOGONI, præſtantiſſimi adoleſcentis poſt duorum annorum carcerem, ſecuri percuſſi.

JOANNIS & PAULI, Cæſaris Aulicorum, capite cæſorum.

COSMÆ & DAMIANI, Fratrum, in mare primum, tum ignem abſque damno conjectorum, ac demum ſecuri percuſſorum.

Atque his nullum omnino alium ſanctum, ex privata devotione & affectu apponere licet.

Sacerdos jungens manus dicit: *Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum* Omnium ſcilicet horum Sanctorum merita & interceſſiones, cum Chriſti meritis conjungens, & per eum illa Deo præſentans.

Deinde tenens manus ſuper oblata extenſas, & pollice dextro ſuper ſiniſtrum, In modum crucis ſuperne locato, dicit: *Hanc igitur oblationem &c.*

Myſterium. Chriſtus Dominus ſuper crucem projectus, manibus extenſis ſuper eum locatur, mox in oblationem Deo pro ſalute

noſtra

noſtra eidem affigendus: qui tunc in cælum oculis ad Patrem elevatis, non eſt dubium, quin ſimilibus verbis ſe in Sacrificium Deo obtulerit: *Hanc igitur oblationem* (quam ſponte tibi hodie pro ſalute hominum offe- ro) *ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ* (nempe Electorum & Prædeſtinatorum, quorum ſpeciatim loco & nomine tibi eam præſento) *quæſumus, Domine, ut placatus accipias, diesque noſtros in tua pace diſponas* (quibus verbis omnia vitæ temporali ad ſalutem neceſſaria, & conducentia petuntur) *atque ab æterna damnatione nos eripi*, &c. ubi futura vitæ bona poſtulantur.

Sacerdos etiam, hoc modo manus ſuper oblata extendendo, omnia ſua & populi, mundique totius peccata & neceſſitates ſuper Chriſtum ponit, ut omnia per ipſum, tanquam veram victimam pro peccatis, tollantur: uſitata in veteri Teſtamento cæremonia, qua jubebatur Levitici 6. Sacerdos ſuper victimam pro peccato immolandam manus ponere, & crimina ſua in eam transferre, & ejus capiti imponere, per ejus occiſionem abolenda, juxta illud Eſaiæ: *Iniquitates omnium noſtrum poſuit ſuper eum, cujus livore ſanati ſumus. Et: vulneratus eſt pro-*

pter ſcelera noſtra : dolores noſtros tulit ; & languores noſtros ipſe portavit.

Sacerdos oblata quinque crucibus ſignans dicit : *Quam oblationem , tu DEUS, in omnibus &c.*

Myſterium. Chriſtus mallei ictibus ſæpius iteratis (clavos enim data opera obtuſos carnifices acceperant) manibus & pedibus crudeliſſime confixis cruci affigitur, id, quod cruces ita multiplicatæ ſignificant, quia vix quinto vel ſeptimo ictu (ut variæ docent Revelationes) nervoſas manuum pedumque partes, clavi penetrare potuerunt. Quando dicendo: *Fiat dilectiſſimi Filii tui D. N. JEſu Chriſti* : manus jungit, easque cum oculis cælum verſus, juxta Rubricam, elevat, faciat id magno affectu, cordialiſſime deſiderando, jamjam poni coram ſe Chriſtum ſub ſpeciebus panis & vini : renovetque hic actualem expreſſam intentionem conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti Domini.

Sacerdos extergens pollices & indices ſuper corporale, dicit: *Qui pridie, quam pateretur* : prope eſt, ut jam veniat Rex ipſe Chriſtus, ipſe namque in Tragœdiam hanc introducetur, ut præcipuum ejus actum in perſona propria pro ſe agat. Ideo Sacerdos cum intimo ſenſu cordis deſiderans omnem

mnem

omnem poſſibilem puritatem ad eum digne contrectandum; quia inter ejus digitos de cælo deſcendens ſe primo poſiturus eſt, devote eos excergat, ut eorum contactu digne eum introducat in orbem terrarum & exhibeat videndum omnibus & adorandum, cæleſtibus, terreſtribus & infernis, coram quo omne illorum genu flectatur; ſubiens in hoc munus ipſius Dei, de quo S. Paulus Hebr. 1. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Omnia autem hæc verba diligenter pridem, & ſæpius habeat præmeditata, ſingulorum vim & ſignificationem probe penetrans. omnia enim ſunt ſacroſancta. Super quæ aptam meditationem in fine hujus tractatus ponemus.

Accipiendo hoſtiam dum dicit: *Accepit panem in ſanctas & venerabiles manus ſuas*, confundatur, & ſeſe vehementer humiliet, quod ipſe tam ſceleſtis & pollutis manibus eundem ſanctiſſimum panem contingat.

Dicendo *elevatis oculis in cælum*, elevat & Sacerdos oculos, ceteraque omnia, quæ voce profert, geſtu etiam exprimit, in hoc loco & actu veriſſime demum perſonam Chriſti in ſe gerens.

Antequam conſecrationem, in qua Chriſti cum cruce elevatio repræſentatur, explicemus,

mus, duo prius monenda occurrunt, notatu Sacerdoti conſecraturo digniſſima: 1. eſt, ut ad hunc actum conſecrationis (qui conſiſtit in prolatione verborum, cum intentione ponendi per ea ſub ſpeciebus Corpus Chriſti, omnem devotionem hactenus per partes Miſſæ diſperſam, colligat & breviter quidem, ſed ardenter, intenſiſſimos charitatis, doloris, fidei, ſpei &c. actus ante eum eliciat: Ratio eſt: quia in hoc ſolo actu, nempe in conſecratione utriusque ſpeciei, conſiſtit tota eſſentia & ſubſtantia, valor, meritum & pretium Sacrificii Miſſæ, ita, ut, ſi quis nihil aliud ante conſecrationem, vel poſt eam de Miſſa oraſſet, vel dixiſſet, neque deinceps Corpus Chriſti & Sanguinem ſumeret, dummodo conſecraſſet, verum Sacrificium obtuliſſet, meriti & ſatisfactionis infinitæ. Et ita præciſe defacto ſacrificavit, juxta multos, Chriſtus Dominus in ultima cœna, non ſumendo ipſe ſpecies a ſe conſecratas. Ex quo patet, reliquas omnes partes Miſſæ, Offertorium, Canonem, communionem &c eſſe tantum complementa, partes integrantes, & perficientes hoc Sacrificium; cetera vero eſſe ad majorem decorem & diſpoſitionem ſacrificantis ſervientia: in quibus Sacerdos non ita ſtricte gerit perſonam Chriſti, ſed modo quidem nomine Eccleſiæ, modo nomine proprio Deum

orat,

Digitized by Google

orat, & oblata præſentat. Annon ergo manifeſtum eſt, hic debere adhiberi omnem a Sacerdote devotionem, cum in hoc tota eſſentia & meritum ſacrificii Miſſæ ſit poſitum? 2. Ut propter eandem rationem hic renovet intentionem, ad quam celebrat, & nominatim eliciat ſemper has intentiones.

1. Intendat conſecrare & offerre Chriſtum Deo in recognitionem ejus ſupremi in nos Dominii, quoad vitam & mortem, qui finis eſt intrinſecus & eſſentialis omni ſacrificio, ex ipſa ſua inſtitutione. 2. In gratiarum actionem pro omnibns beneficiis ſibi, & toti mundo, ab æterno collatis. 3. In impetrationem gratiarum efficacium, præſertim finalis gratiæ, perſeverantiæ in morte beatorum. 4. In adorationem ſupremæ Dei excellentiæ, per præſentationem rei infinitæ, Deo dignæ, & ei æqualis.

REPRÆSENTATIO III.

Chriſti cum cruce exaltatio, ejus ſeptem ultima verba &c. per Conſecrationem, Elevationem &c. adumbrata.

Sic ergo præparatus, cubitis ſuper Altare incumbens, ſtans capite inclinato, tenens ambabus manibus hoſtiam inter indices & pollices (ad Chriſti imitationem, qui ad

cœnam, Judæorum antiquorum more, recumbens, hoc Sacrificium inſtituit) profert verba conſecrationis diſtincte, reverenter, & attente, non anxie & ſcrupuloſe, vel caput ad ſingula verba agitando, vel hoſtiam afflando: *HOC EST ENIM CORPUS MEUM.*

Quandoquidem ergo in hoc præciſe actu repræſentat Chriſtum, & verba conſecrationis in ejus perſona profert, imaginetur Chriſtum quaſi intra ſe exiſtentem, per os ſuum verba conſecrationis proferre, & ſe ipſum ſub ſpeciebus panis, vi verborum ineffabiliter collocare, innumera ſtupenda miracula illo momento patrando: namque panem totum & vinum annihilat, & ſola accidentia ſine ſubjecto extra omnem ſubſtantiam conſervat. 2. Se ſuumque corpus, animam, ſanguinem &c. reducit, manensque in cælo, ſub hoſtiam tamen præſens venit. 3 Eſt totus non tantum in tota hoſtia, ſed etiam in qualibet ejus mica & atomo &c. Imaginetur etiam Chriſtum Dominum illo conſecrationis momento, cum innumera ſanctorum Angelorum multitudine e cælo in hoſtiam venire, ineffabili ſplendore & Majeſtate conſpicuum. Vel ſi magis pro temporum & ſolennitatum varietate placeat, modo quidem

ut

Digitized by Google

ut infantulum, modo vulneribus in Paſſione conſciſſum &c.

Porro myſterium Paſſionis, quod in Conſecratione ſignificatur, eſt Chriſti in ligno ſuffixio, juxta illud, quod dicit S. Thom. par. 3. quæſt. 80. art. 12. ad 3. dicens: *In conſecratione conſiſtit proprie repræſentatio Sacrificii crucis.*

Conſecratam hoſtiam Sacerdos inter primos digitos tenens, poſteriores autem a tergo hoſtiæ devote complicatos, quaſi eam deprecaturus ſervans, mox genuflexus adorat: id, quod omni poſſibili reverentia faciat, cum primus omnium Chriſtum tunc in mundum venientem ſalutet, tanto affectu, acſi, tunc primum Chriſtus revera naſceretur, & prout illum in lucem prodeuntem beatiſſima Virgo adoravit. In qua adoratione vivam fidem de Chriſti præſentia habere laboret, acſi eum oculis corporeis præſentem cerneret.

Myſterium. Sacerdotes, & populi Doctores ac Principes Chriſtum in cruce elevatum blaſphemant, & illudunt, moventes capita ſua: quam injuriam Sacerdos ſua adoratione, & fidei in Chriſtum profeſſione compenſat.

Sacerdos ſe erigens, hoſtiam reverenter & decenter elevat, non nimis alte & violen-

 te.

Digitized by Google

te, ſed præciſe, ut commode a populo videri poſſit: neque ſupra caput eam attollendo, ſed ita, ut ſemper ipſi Corporali immineat, ne decidentes forte micæ ſuper capillos, vel alio extra Corporale rejiciantur. Semper autem oculos juxta Rubricam in hoſtiam intentos habeat, Dominum ſuum in ea agnoſcendo & reverendo, itaque eam populo adorandam præbeat.

Myſterium. Chriſtus Dominus cum cruce in altum elevatur, & quaſi in ſignum, cui omnes contradicant, & in quod blaſphemias ſuas evomant, proponitur. Id, quod etiam re ipſa omnes adſtantes abunde præſtiterunt; quorum quia tria genera fuiſſe Evangelium recenſet, nimirum Principes Sacerdotum, Scribas & Legis peritos. 2. Latrones, qui crucifixi erant cum eo. 3. Prætereuntes & milites, & promiſcuam plebem, ideo etiam ter ſignum campanula datur, excitans, admonensque populum ad Chriſtum adorandum, & hanc injuriam ſua pietate abolendam. Ob quam etiam cauſam populus trina percuſſione pectus verberat, deteſtando trinas has Chriſto illatas injurias. Aliquæ inſuper Nationes cum Polonis, ſub elevationem faciem alapis cædunt, hac percuſſione oris expiaturi illas oris nefariorum blaſphemias, & oblocutiones. Miniſter autem

Sacer-

Sacerdote hoſtiam conſecrante & elevante; extremitatem Caſulæ a tergo ſuſtentat, ut hoc actu oſtendat, omnes fideles, totamque Eccleſiam (cujus perſonam ab eo ſuſtineri ſæpius jam oſtendimus) participare de hoc Sacerdotis Sacrificio, & quaſi cum eo illud Deo offerre, dum ſe per veſtium illius apprehenſionem quodammodo illi unit, & conjungit. Porro Sacerdos hoſtiam elevans, & adorandam proponens, quam latiſſime extendat ſuam intentionem, & deſiderium, optando Chriſtum non tantum a præſentibus hominibus adorari, ſed etiam ab omnibus aliis in toto orbe, cælo, purgatorio & inferno, imo & ab omnibus ejus creaturis, etiam inanimatis, clamando corde toto cum pueris illis Babyloniis; *Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.* Deinde etiam hac elevatione, quaſi eam Deo Patri porrigat, offeratque in donum pretioſiſſimum, pro omnibus neceſſitatibus obtinendis: optetque ſimul ardentiſſime, ſi fieri poſſet, Chriſtum ad cælum uſque elevare, & de novo eum ad dexteram Patris collocare, & in novam gloriam, thronumque Deitatis aſſerere. Cum autem deinceps in hoſtia ſemper Chriſtum exiſtentem ſit habiturus, ita delicate eam contrectet, quoties ex præſcripto Rubricarum eam continget, ita tenere intueatur, acſi

acſi revera eum corporaliter oculis ſuis præſentem videret, & quemadmodum in præſepio eum contrectabat beatiſſima Virgo: imitans in hoc B. Hermannum Joſephum, qui ita delicate Chriſtum in Euchariſtia tangebat, movebat, & ſuper corporali reponebat, acſi is ibi in hoſtia adhuc corpore paſſibili foret.

Sacerdos hoſtiam reverenter in Altari depoſitam, denuo genuflexus adorat.

Myſterium. Beatiſſima Virgo, ut primum Filium ſuum ſuper cruce exaltatum conſpexit, inter manus S Joannis, & piarum mulierum, quaſi exanimis (prout ipſa de ſe S. Brigidæ revelavit) in terram concidit.

Sacerdos calicem diſcooperit dicens: *Simili modo, poſt quam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas* (ſimulque calicem apprehendens aliquantulum elevat, erubeſcens, quod ipſe ſuis impuris manibus eundem contingat) *item tibi gratias agens &c.* proſequitur uſque ad calicis elevationem.

Myſterium. Per hanc ſanguinis Chriſti conſecrationem, in qua ex vi verborum ſolus ſanguis ſine Chriſti anima & corpore ponitur (hæc enim tantum ponuntur per concomitantiam, uti loquitur Conc. Trid.)

pulchre

pulchre figuratur ſanguis e Chriſti vulneribus in Cruce quaſi pleno torrente in ſolum defluens, ſeque a corpore & anima Chriſti ſeparans. Elevata enim cruce & temere in præparatum foramen magno impetu demiſſa, concuſſum vehementer corpus, vulnera manuum & pedum ſupra modum dilatavit, e quibus tunc demum latiſſime patefactis, plenus fons ſacerrimi cruoris erupit.

Nota autem hic obiter, eſſentiam Sacrificii Miſſæ conſiſtere in hac ipſa ſanguinis ſolius Chriſti ſeorſim a corpore (quantum eſt ex vi verborum) ſub ſpeciebus vini poſitione. Cum enim Sacrificii eſſentia ſit hæc, ut in eo res oblata Deo immutetur, vel mactetur, & deſtruatur, quo ſic aptius proteſtetur Dominium Dei ſupremum in vitam & mortem noſtram, id, quod omni ſacrificio eſt intrinſecum, neceſſario debet etiam in Miſſa, ut verum illa ſit Sacrificium, res Deo oblata aliquomodo immutari. Jam vero cum hæc non ſit Sacrificium cruentum, ſed incruentum, myſticum & cruenti illius in cruce Sacrificii in quo per veram ſanguinis & animæ Chriſti a corpore ſeparationem, & occiſionem Chriſtus Deo fuit oblatus, repræſentativum, non poteſt, nec debet in eo res oblata vere re ipſa deſtrui, vel mactari (nam *Chriſtus reſur-*

ſurgens a mortuis jam non moritur.) Deſtruitur ergo in ea Chriſtus myſtice & incruente, prout realiter & cruente deſtructus fuit in cruce: quia ſicut ibi realiter ſeparatus fuit ſanguis Chriſti ab ejusdem corpore, poſt quam ſeparationem neceſſario mori debuit, & deſtrui, ita hic myſtice ſeparatur ſanguis Chriſti a corpore, dum vi verborum conſecrationis loco panis, ponitur præciſe ſolum corpus, & vi verborum conſecrationis loco vini, ponitur præciſe ſolus ſanguis. Ex quo etiam neceſſario, quantum ex vi verborum, moritur, & deſtruitur myſtice Chriſtus Dominus, ſiquidem reliqua perſonam Chriſti complentia & componentia ſequuntur tantum utramque ſpeciem per concomitantiam. Unde apparet, Chriſtum in Miſſa, quantum ex vi & intentione Sacrificii, offerri Deo non vivum, ſed mortuum & deſtructum, qualiter is ſeipſum obtulit in cruce; alioqui non poſſet dici in illa offerri Deo ut verum Sacrificium. In verbis conſecrationis Calicis, dum profers: *qui pro vobis & pro multis effundetur:* elicias ardentiſſimum deſiderium, ut & tu cenſearis a Chriſto inter eos multos, pro quibus hunc ſanguinem effundendum dicit.

Sacerdos conſecratum Calicem genuflexus, ante & poſt elevationem adorat, dicens: *Hæc quotiescunque &c.*

Myſte-

Myſterium. Chriſtus Dominus ſanguinem ſuum e vulneribus tanta copia profluum e cruce in cælum quaſi elevat, æterno Patri eum offerens, tanta vi & efficacia, ut per eum mox aliqui ex triplici illo hominum genere, Chriſtum in cruce blaſphemantium & ridentium, fuerint converſi: quando e Sacerdotibus & Legis Doctoribus Nicodemus, non jam de nocte, uti ante hac, ad Chriſtum veniens, ſed palam illum confeſſus, honorifice tumulavit, ideoque a Judæis carceri mancipatus eſt: ex latronibus, qui ad dexteram pendebat: e militibus & plebe, Longinus, Centurio, omnesque illi, qui revertebantur in Civitatem viſa Chriſti morte, percutientes pectora ſua. Et ideo rurſum hic trino campanulæ pulſu, ac terna pectoris verberatione Eccleſia uti conſuevit.

Poteſt autem apte Sacerdos hic ſacrum ſanguinem ſuper caput elevando, præterquam quod eum Patri æterno hoc geſtu præſentet, ardenter deſiderare illo totus perfundi & ablui, clamando cum Davide: *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Verba item illa tenerrimo affectu proferat; *Hæc quotieſcunque feceritis &c.* cum per ea Chriſtus oſtendat ſe hoc Sacrificium nobis in memoriam ſui reliquiſſe: ſolemus autem omnes, rem

nobis

Digitized by Google

nobis pro memoria ab Amico relictam, tenerrime complecti & æſtimare.

Sacerdos extenſis manibus orat, *Unde & memores &c.*

Myſterium. Chriſtus Dominus ſuper crucem extenſis manibus tribus horis vivus pendens, cauſam noſtram apud Deum agit, & ferventiſſime perorat. Unde Canon Miſſæ aliter etiam *Actio vocatur*, (hinc oratio illa: *Communicantes & memoriam venerantes*, vocatur: *Infra actio*) quæ nihil aliud eſt quam cauſa in judicium deducta: quia Chriſtus in cruce cauſam noſtram ad judicium divinæ Juſtitiæ deductam, potentiſſime egit, donec evinceret Septem autem fuere verba, quæ clara voce ad diverſos intra illud tempus prolocutus eſt, donec expiraſſet: unde & Eccleſia uſque ad fractionem hoſtiæ (quæ mortem Chriſti ſignificat) ſeptem orationes recitat. *Primum* Chriſti verbum fuit ad Patrem pro hoſtibus ſuis: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Cui reſpondet oratio prima: *Unde & memores Domine*, qua declarat Eccleſia, ſe in memoriam beneficiorum a Chriſto perceptorum, ſcilicet Paſſionis, Reſurrectionis &c. peragere hoc Sacrificium, ſicut e contra Judæi, pro quibus primam ſuam hanc oratio-

nem

nem ad Patrem fudit, per ſummam beneficiorum a Chriſto acceptorum ingratitudinem, ſumma crudelitate illud conſumarunt. Quinque autem cruces ſuper oblata factæ, deſignant juxta S. Thom. p. 1. q. 83. art. 5. & S. Bonavent. in expoſit. Miſſæ, quinque Chriſti vulnera, quæ etiam Chriſtus hic pro iisdem ſuis hoſtibus Patri æterno offerebat. *Secundum* Verbum fuit ad latronem veniam petentem: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo:* expreſſum per orationem ſecundam: *Supra qua propitio.* In qua petit latronis exemplo Deum ſibi propitium fieri, ſicuti illis innocentibus & SS. patriarchis fuit. Aptiſſime autem hic Eccleſia nominat Patres antiqui teſtamenti, nullibi deinceps per decurſum Miſſæ ullius Sancti ex Synagoga mentionem factura, quia in hoc latrone quaſi finis antiquo teſtamento impoſitus eſt, isque primus novi Teſtamenti Sanctus, & quidem Martyr extitit, non autem ut alii omnes, quantumlibet SS. PP. limbum primo, ſed recta paradiſum petens, paulo poſt a morte Chriſti fractis cruribus (quæ a Judæis ex odio illius confeſſionis, qua Chriſtum deprecans miſericordiam petebat, ei ſpecialiter confracta aliqui Sancti Patres docent, ut ex hoc capite vero Martyrio pro Chriſto ſit occiſus)

ex-

Digitized by Google

extinctus. *Tertium* Verbum ad Matrem & Diſcipulum: *Mulier, ecce Filius tuus! ecce Mater tua!* Adumbratum per orationem tertiam: *Supplices te rogamus.* In qua petimus omni benedictione cæleſti & gratia repleri, non omnes, ſed tantum, *quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumpſerimus*; qua phraſi pulchre ſignificatur beatiſſima Virgo, quæ Filium Dei per Incarnationem intra ſe ſumens, omni gratia plena, & inter mulieres benedicta dicitur, in cujus proinde quaſi filios cum Joanne hac oratione recipi poſtulamus. *Quartum* Verbum ad Patrem pro ſe: *Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquiſti me?* expreſſum per *Memento* pro defunctis, in quo Chriſti exemplo petit Eccleſia, ne derelinquat animas fidelium, in tormentis afflictiſſimas, ſed etiam meminiſſe velit: quaſi dicat: *Tu Domine in cruce lachrymoſe queſtus es, Patrem tui non recordari, ab eo te derelinqui; noli ergo etiam oblivíſci & derelinquere animas defunctorum.* *Quintum* Verbum ad milites & carnifices pro ſe: *Sitio*, ſcilicet, ſalutem animarum (prout multi SS Patres explicant) magis, quam potum corporeum. Cui ſiti ex-

tin-

tinquendæ materiam aptam, & hauſtum offerens Eccleſia, omnes peccatores ei præſentat, petens etiam iis *de multitudine miſerationum divinarum, partem aliquam & ſocietatem donari cum aliis Sanctis* dicendo orationem: *Nobis quoque peccatoribus &c.* Quæ oratio licet videatur finiri in iis verbis: *Per Chriſtum Dominum noſtrum:* adeoque nova diſtincta oratio inchoari a verbis illis: *Per quem hac omnia Domine ſemper bona* &c. tamen, ut bene advertit Bellarm. in Controv. de Miſſa, unicam orationem hæc omnia conſtituunt, quæ primo terminatur ad Pater noſter, dicto clare; *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Unde etiam ad illud primum. *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* non apponitur finalis illa particula, *Amen*, ſed reſervatur uſque ad iſtud: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, ut oſtendatur hic demum orationem finiri, & novam inchoari. Ideo autem tam fuſe pro peccatoribus precatur Eccleſia, adhibens ad hoc ſpecialem, novam etiam Corporis & ſanguinis Chriſti Deo repræſentationem, utramque ſpeciem nonnihil cælum verſus elevando, ad verba illa, *Omnis honor & gloria*, quia nec plures, nec alii in majori periculo & neceſſitate ſunt conſtituti

uti peccatores. *Sextum* Verbum: *Conſummatum eſt*: repræſentatum per orationem Dominicam, *Pater noſter*: in qua eſt conſummatio omnium petitionum, quia nihil eſt, quod nobis neceſſarium vel utile eſſe poſſit, quod efficaciſſima hac petitione, omnium aliarum orationum præſtantiam complectente, non contineatur. *Septimum* Verbum Chriſti jam expirantis ad Patrem; *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*: pulchre adumbratur in oratione illa: *Libera nos quæſumus &c.* ubi Eccleſia Pacem a Deo per merita Chriſti morientis obtentam precatur, petens liberari a peccatis præteritis, præſentibus & futuris, quæ unica inimicitiæ Deum inter & hominem & mortis Chriſti cauſa extiterunt. Unde etiam Patenam (qua Divinitatem deſignari ſupra oſtendimus) Sacerdos (Eccleſiæ perſonam gerens) oſculatur, quia per mortem Chriſti Divinitas hominibus reconciliata, eos ad oſculum pacis admiſit. Sed nunc penſiculatius ſingulas has Canonis orationes & cæremonias ponderemus.

RE-

Digitized by Google

REPRÆSENTATIO IV.

Reliqua Chriſti in Cruce myſteria uſque ad mortem incluſive, per Canonis reliquum, uſque ad S. Hoſtiæ fractionem, ſignificata.

Ac in primis particula il'a orationis prima: *Unde & memores Domine &c.* ſignificat connexionem cum verbis immediate antecedentibus, ut ſenſus ſit: *Hæc quotiescunque feceritis: in mei memoriam facietis; unde & nos memores Domine ſervi tui tua Paſſionis, offerimus tibi in memoriam hujus beneficii hanc immaculatam hoſtiam.* Qui modus orandi eſt efficaciſſimus, cum dicere quis vere poſſit Deo: *Fecimus, quod juſſiſti, da, quod promiſiſti.* Circa cruces, quæ hic ſuper oblata, ac deinceps poſt conſecrationem fiunt, adverte, eas non fieri a Sacerdote benedicendi cauſa, hæc enim, ut docet S. Thomas, eſſet potius impietas, & in Chriſtum irreverentia, ſi is a Sacerdote benediceretur: ſed ad recolendam paſſionem, & crucem Chriſti, cujus vi & efficacia hæc & omnia alia bona in nos profluxerunt,

xerunt. In ſecunda oratione illud mirum videri poteſt, quod Eccleſia petat ita gratum hoc Sacrificium oculis divinæ Majeſtatis accidere, uti erant Abelis, Abrahami, & Melchiſedech Sacrificia, quæ fuerunt valde vilia, & nullatenus conferenda cum hac infiniti valoris & pretii oblatione. Sed notandum eſt, Eccleſiam hic non petere, ut ipſum Sacrificium in ſe, & in ſua excellentia, tam gratum Deo ſit, quam fuere illa Sacrificia, ſic enim conſideratum, eſt infinities magis gratum; ſed ut ita Deo acceptum ſit in ordine ad obtinendos fines, & intentiones, pro quibus offertur, ſive in ſuo effectu. In qua conſideratione, ſæpe non eſt tam efficax & infallibilis valor Miſſæ, ex defectu noſtræ diſpoſitionis, vel Dei acceptationis, uti fuere illa SS. Patriarcharum Sacrificia; quia valor Miſſæ, etſi in actu primo ſit pretii infiniti, in actu tamen ſecundo, & in ipſo effectu, non eſt infallibilis, nec a Deo acceptatur in tota ſua latitudine, ſed valde limitate, ſicut & ipſum cruentum in cruce Sacrificium. Orans verba illa: *Jube hac perferri per manus S. Angeli tui:* dicat illa magna cum reverentia & attentione, memor ſe ab innumera Angelorum multitumultitudine tunc vallari, a quorum uno, haud dubie ab Angelo Altaris Cuſtode, vidit

dit Sanctus quidam elevatam ſub hæc verba ab Altari ſanctiſſimam hoſtiam, in cælum uſque efferri, & conſpectui divino reverentiſſime præſentari. Deinde ſe ſignans cum verbis: *Omni benedictione cæleſti & gratia repleamur:* ardentiſſime exoptet ſibi omnes illas maximas gratias concedi, quas Chriſtus morte ſua nobis obtinuit, & quas Deus nobis dare poteſt.

In *Memento* defunctorum, eandem fere, quam in vivorum, ſervare methodum Sacerdos poteſt. Sub *Nominativo*, commendando omnes defunctos magni nominis, pro quibus orare vult, Pontifices, Reges, &c. Item valde nominatos peccatores, qui diutiſſime in Purgatorio deberent manere, & qui graviſſima patiuntur tormenta &c.

Sub *Genitivo*: Genitores, Fratres, & quoscunque Conſanguineos.

Sub *Dativo*: omnes Benefactores, & amicos corporales & ſpirituales, vel aliter bene & familiariter notos, & qui per te liberati potiſſimum, tibi magnas gratias a Deo in cælis impetrare, teque viciſſim maxime adjuvare poſſunt.

Sub *Accuſatiao:* Omnes tibi aliquando male facientes, vel quibus tu aliquando male feciſti, quibus tu occaſio peccati fuiſti, vel qui tibi fuerunt.

Digitized by Google

Sub *Vocativo:* Omnes eos, qui recentiſſime ea hora, vel momento, e corpore vocati in purgatorium deſcenderunt, itemque proximi liberationi ſunt e Purgatorio, ut tanto citius inde evocentur.

Sub *Ablativo:* Omnes eas animas, a quibus omne auxilium eſt ablatum, pro quibus nemo vel pauciſſimi orant, quales ſunt patibularii, in præliis cæſi, occulte necati, pauperes &c.

Ad, *nobis quoque peccatoribus,&c.* elici at ſpem miſericordiæ Dei & ſuæ prædeſtinationis, quod aliquando ad Societatem beatorum perventurus ſit, quibus hic adjungi poſtulat, quorum hic nominatim 15. exprimuntur: *ſeptem* Viri, totidemq; Mulieres, omnes Martyres, nulla enim Confeſſorum ullibi in Canone fit invocatio: quia Sacrificium hoc cum ſit memoria cruenti illius ſuper arã crucis holocauſti, non oportebat alios in eo memorari, quam qui per glorioſam ſanguinis ſui profuſionem, ſimiliter ſe Deo obtulerunt. Et licet aliqui videantur minus celebres Martyres, ſingulari tamen Dei providentia eos in utroque *Memento* eſſe poſitos, conſtat ex eo, quod cum a nonnullis Patribus deleti eſſent aliqui obſcuriores Martyres ex hoc in Canone relatorum numero, ut alii celebriores

res

Digitized by Google

res & ſanctiores imponerentur, ſequenti die inventi ſunt illi pridie deleti, aureis denuo literis ſuo loco reſtituti.

Cum *Joanne, Evangeliſta* ſcilicet, qui hic denuo jam ſecundo nominatur, quia ipſe potiſſimum ex omnibus Apoſtolis Paſſioni & morti Chriſti ſub Cruce ſtans præſens nterfuit, unde ſicut infra actionem beatiſſima Virgo enumeratorum ibi Sanctorum quaſi Chorum ducit, primo loco invocata, ita hic S. Joannes ad lævam Crucis partem ſtans, alteram Sanctorum aciem præit.

Stephano, primo Martyre, lapidibus obruto, & ob hanc prærogativam, etiam Apoſtolis duobus his præpoſito.

Matthia, a Spiritu ſancto poſt Chriſti Domini aſcenſionem, in locum Judæ electo, & ſecuri pro Chriſto percuſſo.

Barnaba, Apoſtolo, S. Pauu Socio, & flammis pro fide exuſto.

Ignatio, S. Petri Antiochiæ Succeſſore, a beſtiis dilaniato.

Alexandro, Papa, a quo primaria pars Canonis ordinata fuit, ſecuri percuſſo.

Marcellino, Papa, capite truncato.

Petro, Alexandrino Epiſcopo, capite item cæſo.

Digitized by Google

Felicitate, quæ marito mortuo relicta gravida, poſtquam in carcere peperit, objecta feris interiit.

Perpetua, Martyre, S. Felicitatis ſorore, eodem mortis genere affecta.

Agatha, Virgine & Martyre notiſſima abſciſſione mammillarum, aliisque pluribus tormentis necata.

Lucia, Virgine & Martyre, igne exuſta, & gladio per collum transverberata.

Agnete, tenera Virguncula, poſt ignem & varia ſupplicia, gladio cæſa.

Cæcilia, Virgine & Martyre, in ignibus illæſa, ac tum ſecuri percuſſa.

Anaſtaſia, Conjugata, ad palum manibus & pedibus ligata, & igne combuſta.

Et omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos conſortium, non æſtimator meriti (hic valde ſe coram Deo humiliet, ſuam vilitatem, indignitatem, & demerita agnoſcendo) ***ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte, &c.***

Per quem hæc omnia Domine &c. in his verbis infinita Chriſti Domini præſtantia & excellentia denotatur, per quem non tantum omnes res creatæ, ſua naturalia & ſupernaturalia bona, exiſtentiam, virtutem &c. acci-

accipiunt, ſed etiam ille ipſe ſub ſpeciebus Euchariſticis creatur. Verbo, *Creas*, indicantur bona naturæ; Verbo *Sanctificas* & *Benedicis*, bona ſupernaturalia: & *praſtas nobis:* hic ſignificatur, hæc omnia bona naturalia, & ſupernaturalia, in noſtri gratiam, & ut nobis ea præſtentur, eſſe a Deo producta. Sed adhuc major præcellentia Chriſti in ſequentibus declaratur, quando non tantum omnia bona per illum in nos derivari aſſeritur, ſed totam etiam gloriam, & omne Dei bonum extrinſecum, per Chriſtum illi obvenire confirmatur. *Per ipſum*, tanquam per medium & cauſam, *& cum ipſo*, tanquam coeffectore, atque gloriæ conſorte: & *in ipſo* tanquam in termino, & objecto, *eſt tibi Deo Patri*, *in unitate Spiritus ſancti*, toti ſanctiſſimæ Trinitati, *omnis honor & gloria*, & in terris, & cælo. Ad quodlibet autem horum verborum ſacra hoſtia formatur Crux, ut denotetur, per Chriſtum in cruce, tanquam inſtrumentum, omnem hanc gloriam & honorem Deo a Chriſto partam & ptocuratam eſſe. In duabus poſterioriuus crucibus, quas ſacra hoſtia ab ore Calicis Sacerdos ad ſe ducit, hoc ſpeciatim notet, aut diviniſſimam Euchariſtiam pectus ſuum verſus trahendo, deſideret eam

pectori ſuo & cordi apprimere, imo intime intra illud recipere, & includere. 2. Ut animitus optet, Crucem & Paſſionem Chriſti ad ſe transferri, & fructum ſanguinis illius ad animam ſuam derivari. Elevando autem ſacram hoſtiam calici ſuperne imminemtem, una cnm ipſo S. Calice, ardentiſſime utrumque Patri æterno offerat, & præſentet, cum deſiderio Chriſtum, ſi ſuus eſſet, re ipſa illi donandi, optando, gratulandoque ei intime omnem gloriam, quam per ipſum obtinet. Nunquam enim alias per decurſum Miſſæ ita ſimul Chriſtus Dominus ſub utraque ſpecie Deo offertur.

Cooperto & adorato calice Sacerdos clara voce dicit: *Per omnia ſacula ſaculorum.*

Myſterium. Etſi majori parte Canon ſecreto in ſilentio a Sacerdote dicatur, aliqua tamen ſubinde paucula clara voce pronunciantur, ad hoc ipſum Chriſti in Cruce orantis myſterium ſignificandum, qui licet integro trium horarum ſpatio continuo in Cruce ſecreto oraverit, ſubinde tamen paucula, *Per omnia ſacula ſaculorum*, non tantum eſt terminativa orationis præcedentis, ſed etiam inchoativa ſequentis, nt ſit ſenſus: *Per ipſum eſt tibi honor & gloria, per omnia ſacula ſaculorum.* Et rurſum: *Per*

omnia

omnia ſæcula ſæculorum, *Pater noſter, qui es in cælis*, *&c.* qui uterque ſenſus eſt veriſſimus, ideoque hæc clauſula nunquam profertur immediate poſt illa verba; *Omnis bonor & gloria*, ſed reſervatur uſque ad inchoationem Orationis Dominicæ.

Sacerdos dicit: *Pater noſter*, manibus extenſis, & oculis in ſanctam hoſtiam intentis.

Myſterium. In Chriſtum agonizantem & animam agentem, triſtis Mater cum ſuo, cœtu lacrymoſe intenta eſt, totusque populus eum intuens, mortem & exitum ejus operitur. Jubetur autem hic Sacerdos expreſſe in S. Hoſtiam oculos intentos habere, ut in ea Patrem ſuum præſentem agnoſcat, ei ita pro ſe afflicto & animam doloroſe agenti compatiatur, & ab eo omnia bona in Dominica Oratione contenta poſtulet. Præclare etiam fecerit, pulcherrimisque affectibus materiam aptiſſimam invenerit, ſi non tantum hic, ſed alias ſemper, quoties Rubricæ permittunt, aliudque non præſcribunt, in hoſtiam conſecratam oculos converterit, & omnes orationes etiam hoc corporali & ſenſibili geſtu, ad Dominum in ea exiſtentem direxerit.

Sacerdos dicendo: *Libera nos, quæſumus:* Patenam hactenus Corporali & Purificatorio contectam evolvit, aliquantum extergit, & erectam ſuper aram tenet.

Myſterium. Divinitas Chriſti per Patenam (ut ſupra dictum eſt) figurata, in morte ipſius (nam ultima ipſius morientis verba diximus hac oratione indicari) luculente ſe manifeſtare per ſtupenda prodigia incipit, dum tenebris ſuper totam terram incumbentibus, mortui reſurgunt, petræ ſcinduntur, velum templi diſrumpitur, terra contremiſcit, &c. Formar autem in ſe ipſo crucem patena, ut oſtendat ſe Deo, mediante cruce, reconciliatum eſſe; ac tum eam oſculatur, ad oſculum paterni amoris, & perpetuæ pacis a Deo admiſſus. Hoc autem oſculum figi debet in extremitate patenæ ſuper nomen Jeſu, vel Crucem, ſi in ea inſculpta ſit, cum tenerrimo erga Chriſtum Dominum affectu.

Sacerdos patena hoſtiam exceptam & adoratam, ſuper calicem per medium dividit, dicendo: *Per eundem Dominum &c.* & partem utramque ſuper patenam reponit, exigua particula in Calicem demiſſa.

Myſterium. Chriſtus Dominus ſeparata tandem a corpore anima expiravit, per cujus mortem, hac fractione actuali deſignatam,

tam, Sacerdos petit pacem temporalem & æternam nobis concedi, dicendo intra ipſam fractionem: *Per Dominum noſtrum, &c.* Utraque autem pars ſuper patenam reponitur, quia Divinitas, licet ſeparatam animam & corpus ab invicem, ipſa tamen nunquam dimiſit, ſed utrique conjuncta remanſit. Particula etiam in Calicem demittitur, ut anima Chriſti eodem a ſui e corpore exitus momento, ad inferos deſcendiſſe ſignificetur, dicitque: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, hanc enim probabile eſt fuiſſe primam Chriſti apprecationem, qua patres in Limbo ſalutavit. Facitque interea trinam crucem, per illius efficaciam, triplicem pacem factam, quaſi promulgans, inter cælum, terram, & inferos, in quibus Patres morabantur.

REPRÆSENTATIO V.

Reliqua poſt Chriſti mortem ad ſepulturam uſque myſteria: per reſiduum Canonem, ad Communionem uſque incluſive repræſentantur.

Sacerdos inclinatus dicit ter *Agnus Dei*, pectus ſimul toties percutiendo.

Digitized by Google

Myſterium. Viſa Chriſti morte, & ſignis, quæ ſub eam contigerunt, paſſim adſtantes omnes eum verum Dei Filium agnoſcunt, & pectora ſua pœnitudine tacti percutientes, contriti in civitatem redeunt. Centurio etiam videns, quia ſic clamans expiraſſet, confitetur illum verum Filium Dei eſſe. Solet etiam in ſolenni ſacro hic a Sacerdote Pax adſtantibus dari, & ad alios transmitti, quia mortem Chriſti perfecta tandem pax omni homini data eſt. Datur autem ea per amplexum, quaſi Sacerdos ſuper collum pacem accipientis procumberet, modo, quo Pater prodigum filium accepiſſe dicitur, procidendo ſuper collum ejus.

Sacerdos ita inclinatus perſeverans dicit trinas orationes ad Chriſtum Dominum (niſi pro defunctis celebret) per eas Communioni ſe præparans.

Myſterium. Joſeph ab Arimathia, Nicodemus, piæ mulieres cum ſanctiſſima Matre, multique alii Chriſtum de cruce deponere parantes, eum inclinati prius, ut verum Deum adorant, & ſalutant. Unde Eccleſia ſic primum Orationes ad Chriſtum dirigit, eumque immediate ut Deum alloquitur, cum hactenus per totam Miſſam omnes ad Deum Patrem direxerit: quia hic demum poſt mor-

tem.

Digitized by Google

tem ſuam ut DEus agnoſci, & adorari cœpit.

Sacerdos adorato Sacramento dicit: *Panem cæleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo:* accipitque illud inter pollicem & indicem, pectus dextera, aliquantum inclinatus, ter pulſans, & ad ſingulos pulſus repetens: *Domine non ſum dignus, &c.*

Myſterium. Beatiſſima Virgo Chriſti corpus de cruce depoſitum, materno gremio dolentiſſime recipit, quod piæ mulieres & viri circumſtantes lacrymabundi adorant, & præ dolore & compaſſione pectora pulſant, illudque ſepulturæ unguentis & aromatis apparant.

Dicendo prima vice: *Domine non ſum dignus:* agnoſcat, & proteſtetur cum ſumma humilitate & dolore ſuam indignitatem, ad recipiendum intra ſe Corpus Domini, propter turpitudinem & fœditatem corporalem, quia lutum eſt, & abominandæ ſordes, nihilum &c. Ad 2. indignitatem ſpiritualem, propter peccata, & horrendas animæ turpitudines. Ad 3. indignitatem ex defectu ſupernaturalium bonorum provenientem, quorum plane vacuus eſt. Vel per primum agnoſcat ſe indigniorem omnibus hominibus, qui fuerunt, ſunt, & erunt. Per

 ſecun-

Digitized by Google

ſecundum, indigniorem omnibus dæmonibus & damnatis. Per tertium denique indigniorem omnibus creaturis.

Sacerdos ſe erigens, ſeque ſanctiſſimo Sacramento ſignans, dicit; *Corpus Domini noſtri JEſu Chriſti cuſtodiat &c.*

Myſterium. Sanctiſſima Mater, & reliqua pia turba corpus Chriſti tumulo impoſitura, illi dolenter valedicit, illudque funebri pompa ad ſepulturam defert. Cum vero hic ante ſumptionem S. Hoſtiæ Sacerdos, ſeipſum illa ptius ſignet, & ſibi per illam, crucem efformando, benedicat, excipiat hanc benedictionem magna animi humillitate & reverentia, quæ ita corporaliter ab ipſo Chriſto Domino ei hic exhibetur.

Sacerdos cubitis ſuper Altare poſitis ſe inclinans, Corpus Chriſti reverenter ſumit.

Myſterium. Joſeph & Nicodemus Corpus Domini, adjuvantibus piis mulieribus ſepulchro inferunt. Sumit autem Sacerdos cubitis Aræ incumbens Hoſtiam (geſtu ad ſpeciem inurbano) propter Chriſti imitationem, qui in ultima cœna etiam recumbens, Apoſtolis itidem recumbentibus hoc Sacramentum porrexit. Porro devotionem ſuam varie in ipſa ſumptione exercere hic poteſt. S. Franc. Xaverius intra manum tenens hoſtiam, immediate ante Communionem, renova,

Digitized by Google

novabat ſua Religionis vota, ac tum eam, quaſi pro confirmatione, & in teſti monium ſui promiſſi ſumebat. Tu potes renovare actus ferventiſſimos Fidei, Spei & Charitatis. Alii eam tunc ſibi porrigentes, expreſſe eam ſumunt in Viaticum, caſu, quo die illo moriantur, uſurpando etiam verba Eccleſiæ: *Accipe Frater chariſſime Viaticum, &c.* Illud univerſim ſemper facere debes, ut illi, tunc breviſſime tuas omnes neceſſitates repræſentes, ardentiſſime depreceris, ut per ſuum intra te adventum ab iis te liberare velit.

Sacerdos erectus, aliquantulum quieſcit in oratione ſecreta, & meditatione ſanctiſſimi Sacramenti.

Myſterium. Sepulto Domino Mater Jeſu. Apoſtoli, aliique ejus noti, in dolore & triſtitia, cum ſilentio domi ſe continent quieti, uti gemebundi turtures obitum Magiſtri ſui deplorantes. Ut autem Sacerdos aptam & ſufficientem materiam inveniat pro hac ſecreta brevi meditatione (& hanc praxim expediet etiam poſt ſacrum in gratiarum actione fuſius uſurpare) poteſt aliquando imaginari, ac ſi vulnera quinque Domini intra ſe exiſtentis oſcularetur, ac per ſingula gratias aliquas & beneficia petere. Alias ruminare piiſſimam illam oratiunculam: *Anima*

Digitized by Google

ma Chriſti ſanctifica me, &c. Alias exercere actus varios adorationis, charitatis, reſignationis in illius manus, doloris, petitionis, deprecationis. Alias (& hæc praxis eſt utiliſſime) hæc tria facere, 1. Audire quaſi Dominum, quid ſibi hic & nunc dicat, & commendet, & quid a ſe hic & nunc requirat, dicendo humillime cum S. Paulo: *Domine, quid me vis facere?* ſtatim enim certiſſimam inſpirationem Dei, ſentire ſibi perſuadeat per inſtinctum & dictamen propriæ conſcientiæ, certi aliquid hic & nunc in præſentibus circumſtantiis ab eo fieri, vel omitti requirentem. 2. Offerat aliquid in munus gratitudinis, velut hoſpiti gratiſſimo in gratiarum actionem pro ejus adventu: quod munus eſſe poteſt, modo quidem exercitium alicujus virtutis, modo actus certæ mortificationis, modo aliud quodpiam opus pium & bonum. 3. Petat viciſſim gratiam aliquam, qua potiſſimum opus habet, ab eo ſibi concedi, quia nunquam favorabilem magis habere poteſt apud eum audientiam, quam dum eum intra ſe præſentem habet. Alias pro temporis & feſti varietate pie cogitare poterit, acſi coram eo, modo quidem ut Judice reus, modo velut Patre prodigus filius, modo velut coram fratre natu majore frater minor, modo velut coram Rege ſubditus conſiſteret,

cum

cum eo de rationibus ſuis agens, & remedia quærens: vel etiam in ſpecie pueri parvuli, eum amplectens, & ei confidenter ſupplicans. Quam praxim confirmare viſus eſt Deus ipſe prodigioſa illa in Belgio S. Hoſtia, apud Spondanum in Hiſt. Eccleſiaſtica, quam eodem ſimul tempore plurimi intuentes, omnes tamen alia forma ac habitu Chriſtum in ea viderunt, alii glorioſum, alii flagellatum, alii crucifixum, alii infantulum &c. quaſi Deus in hoc ſanctiſſimo Sacramento noſtris deſideriis & voluntati ſe accomodet, talis in eo ad quemlibet veniens, qualem quisque potiſſimum accipere vult, ſicut Manna ſapores omnes continebat, ita cujuslibet palato deſerviens, qualem quisque ex ejus eſu ſaporem cupiebat percipere. Vel ſi magis placeat, poteſt ſubinde piam aliquam ſententiam tunc ſuaviter ruminandam aſſumere, quales ſunt: *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris & deoſculer te?* & omnes verſiculi illius devotiſſimi Jubili ex hymno S. Bernardi; *JEſu dulcis memoria: &c.*

Sacerdos facta reverentia micas patena colligit, easque in calicem immittit, dicens: *Quid retribuam Domino &c.*

My-

Digitized by Google

Myſterium. Angeli diſperſas, tum in flagellatione & coronatione, tum in cruce & alibi, pellis & carnis Chriſti partes colligunt, & in ſepulchrum denuo ab eo reſumendas deferunt. In verbis illis: *Quid retribuam Domino, &c.* Hæc omnia ſpeciatim Sacerdos advertat; 1. Quod dicat Sacerdos ſe in memoriam & gratiarum actionem pro beneficiis tantis, ſumpturum ſacrum ejus ſanguinem, cum tamen hæc ipſa ſumptio ſit novum, incredibile, & nullo modo compenſabile beneficium. Ita nimirum miſeri ſumus, & pauperes!, ut nihil Deo pro beneficiis rependere poſſimus, quin illa ipſa repenſio ſit novum denuo longe majus Dei beneficium, & ipſa noſtra gratitudo, & beneficii redditio, ſit nova denuo noſtri ad gratitudinem novam erga Deum obligatio. Et hoc pulchre indicant verba iſta: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* non dicit, pro omnibus, quæ tribuit mihi? ſed, *quid retribuam pro omnibus, quæ retribuit?* quia dum nos retribuimus, jam Deus mox iterum retribuit, adeo ut ipſa noſtra erga Deum retributio ſit etiam Dei erga nos retributio: quia quidquid Deo damus, vel gratitudinis exhibemus: illud ipſum eſt novum & maximum ejus donum

&

& gratia, dum maximum Dei beneficium eſt, eſſe illi pro beneficiis gratum.

2. Quod dicat ſe in gratiarum actionem accepturum calicem, ad ſignificandum, nullum genus gratitudinis pro beneficiis eſſe Deo acceptius, quam calicem Dominicæ Paſſionis, multa adverſa tolerando, bibere. 3. Ut expreſſe cum ferventi affectu & deſiderio intendat, ſumere ſacrum ſanguinem in gratiarum actionem, & quandam quaſi recompenſationem pro omnibus Dei beneficiis, tennerrime æſtimans Chriſti in nos amorem, qui tantopere a nobis ſumi deſiderat, ut, ſi id faciamus, putet ſibi abunde omnia ſua in nos dona, & munificentiſſimas gratias compenſari.

Sacerdos ſignans ſe ſacro ſanguine in modum crucis, & dicens: *Sanguis Domini noſtri JEſu Chriſti cuſtodiat, &c.* reverenter ſumit ſacrum ſanguinem.

Myſterium. Sanguis Chriſti totus in paſſione effuſus, denuo corpori reſtituitur, & reunitur. In hac ſanguinis Chriſti ſumptione conetur Sacerdos actu inter deglutiendum & bibendum, habere mentem Deo intentam, & maximis affectibus amoris Dei &c. occupatam, memor ſe novam ac diſtinctam

Digitized by Google

ctam gratiam, tam actualem, quam habitualem, in hac ſanguinis communione recipere, aliam ab ea, quam accepit in perceptione Corporis Dominici, juxta probabiliſſimam ſententiam Theologorum, docentium ſumptionem utriusque ſpeciei majorem conferre gratiam, quam tantum unius. Poteſt etiam pie imaginari, quaſi de latere & corde Chriſti hunc ſanguinem ſugeret, maximas ex talibus conſiderationibus cum S, Philippo Nerio percepturus voluptates & dulcedines, qui ideo integram horam in ſola Calicis ſumptione inſumere ſolebat, tanto ſpiritus ſolatio, ut præ eo vehementiſſime clamaret, & tantum non diſrumperetur: unde etiam ſolebat calicem ad ſummum uſque vino replere, ut tanto amplius de ſacro ſanguine ſumendum ſuppeteret.

PARS III. MISSÆ.

Myſterium Reſurrectionis Chriſti, & variarum Apparitionum, repræſentatum per Purificationem, Poſtcommunionem &c. uſque ad finem Miſſæ.

REPRÆSENTATIO UNICA.

Monui ad initium, Sacrificium Miſſæ non tantum eſſe memoriale & ræpræſentationem Mortis & Paſſionis Chriſti, ſed etiam Reſurrectionis & Aſcenſionis, juxta illa verba Canonis? *Unde & memores Domine nos ſervi tui. Filii tui D. N. tam beatæ Paſſionis, nec non & ab Inferis Reſurrectionis, ſed & in cælos glorioſæ Aſcenſionis, offerimus præclaræ Majeſtati tuæ &c.* Unde illa breviter hic declaranda ſunt.

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdos Calicem Miniſtro offert, modicum vini ab eo infuſi accipiens, quo calicem purget, ſeſeque purificet. Qua ablutione epota, denuo aliam a Miniſtro accipit, qua etiam digitos abluit.

Myſterium. Chriſtus Dominus poſt devictam & ſuperatam mortem, omnia a Deo Patre purificata, & quaſi emundata in ſepulchro accipit. Corpus impatibile, agile, ſubtile, inſtar Solis lucidum, immortale, &c. Circa ſumptionem ablutionis nihil notandum venit aliud, niſi ut eam per eandem Calicis viam ſumas, per quam ſacrum ſanguinem ſumpſiſti, ne, ſi alia via ſumatur ablutio, remaneant ſpecies ſacri ſanguinis in calice non ablutæ, & poſteaPurificatorio abſtergi eas abſurde contingat.

Sacerdos ultima ablutione ſumpta, patenam & Calicem extergit, & eum ſuperimpoſito corporali & velo, uti ante Offertorium erat, cooperit.

Myſterium. Quidquid Chriſto Domino per probroſam Paſſionem & mortem ablatum fuit, denuo in Reſurrectione cum multip ici fœnore reſtituitur: ut vita, valetudo, honor, æſtimatio, &c. ut inde diſcamus, quidquid pro Deo & gloria deperdimus, & amittimus, abundantiſſime nobis redditum & compenſatum iri. Inter componendum

cali-

Digitized by Google

calicem poteſt ſuaviter Sacerdos per aliquas aſpirationes & precationes jaculatorias cum Chriſto Domino intra ſe exiſtente colloqui, & ſe, ſuaque ei commendare.

Sacerdos aptato Calice ad cornu Epiſtolæ vadit, Communionem lecturus.

Myſterium. Chriſtus Dominus primo omnium a'Reſurrectione beatiſſimæ Matri apparet, eamque ſolatur, unde etiam hæc lectio ſeu oratio, vocatur ab Eccleſia *Communio:* quia per illam apparitionem Chriſtus Dominus ſe per præſentiam ſuam & adventum denuo communicavit beatiſſimæ Matri, ſoletque hæc *Communio* plerumque conſtare aliqua conſolatoria ſententia.

Sacerdos a cornu Epiſtolæ vadit ad medium Altaris, & oſculato Altari vertit ſe ad populum, dicens: *Dominus vobiſcum.*

Myſterium. Chriſtus Dominus apparet Magdalenæ, & aliis piis mulieribus, pacemque eis precatur: at illæ procidentes adorant eum, & pedes ejus tenentes oſculantur. Quam apparitionem, & partam per reſurrectionem ſuam pacem, Chriſtus jubet aliis Apoſtolis etiam, & fidelibus nunciari, unde Sacerdos huic Chriſti voluntati etiam obtemperans, ad populum ſe convertit, eandem

Digitized by Google

dem pacem eis nuncians, dicendo: *Dominus vobiſcum.*

Sacerdos ad cornu Epiſtolæ reverſus, dicit unam vel plures orationes, pro temporis diverſitate.

Myſterinm. Chriſtus Dominus aliis diverſis apparet, Apoſtolis diſcumbentibus, S. Thomæ &c. jubetque Evangelium prædicari in toto mundo, ad quod deſignandum liber hic communiter clauditur, ut indicetur ceſſatio Legis Veteris & Scriptæ, & Novi Teſtamenti ubique per vivas Apoſtolorum voces prædicatio. Neque etiam myſterio caret, quod liber (Chriſtum figurans) a cornu Evangelii poſt ſumptam Purificationem, transferatur ad cornu Epiſtolæ, quia a gentilibus (per cornu Evangelii deſignatis) a quibus tota Chriſti a Judæis Pilato traditi Paſſio & mors acta & conſummata fuit (id, quod myſtice ab Evangelio uſque ad ſumptionem ſacri Calicis repræſentabatur) illa peracta Chriſtus reſurgens, denuo ad Judæos (per cornu Epiſtolæ deſignatos) ſe confert, illis ſolis ſe manifeſtans, & iisdem Evangelium prædicari initio permittens. Ante Aſcenſionem vero, cum utraque unum facere vellet, adeoque & gentilibus prædicari Regnum Dei juberet, ac proinde perfecte Veteri Teſtamento finem imponeret, ideo hic Liber, ſi

opus

Digitized by Google

opus ſit, ad cornu Evangelii transfertur, ſin minus, occluditur, & penitus ex hoc cornu aufertur, & ultimum Evangelium nihilominus in cornu Evangelii dicitur: ad indicandum, gratiam & cognitionem Evangelii Judæis, quia ea ſe indignos, fecerunt, ablatam, & ad Gentiles poſt Aſcenſionem Domini translatam.

Sacerdos ad medium Altaris rediens, eo oſculato ad populum ſe convertit dicens: *Dominus vobiscum*, & *ite Miſſa eſt.*

Myſterium. Chriſtus Dominus ultima vice apparet Apoſtolis in Monte Oliveti aſcenſurus in Cælum, pacem eis de more precatur, & in totum mundum ire præcipit: cujus pedibus accidentes omnes, eos oſculantur.

Sacerdos ad Altare converſus, & profunde inclinatus, ſecreto orat: *Placeat tibi S. Trinitas &c.* ac denuo oſculatus Altare faciem ad populum obvertens, ei benedicit.

Myſterium. Apoſtoli & fideles ultimam benedictionem a Chriſto aſcenſuro percepturi, humi provolvuntur, cum lacrymis devotiſſime ei excipiendæ ſe præparantes, quibus ille manibus & oculis ſurſum elevatis (quem utrumque geſtum Sacerdos hic obſervare debet) paterno affectu, & verbis iisdem, vel plane ſimillimis bene precatur: *Benedicat*

vos omnipotens Deus &c. Ubi cogitet Sacerdos gemitus, & ardentiſſima fidelium ſuſpiria, in quibus proinde, utpote ſic optime ſine ullo obice diſpoſitis, hæc benedictio omnem ſuum effectum habebit. Quem ſimilem ex ſua Sacerdotis benedictione effectum, quia multi hominum ex defectu bonæ diſpoſitionis&capacitatis non percipiunt, conetur ideo Sacerdos benedictionem hanc ad totum mundum, & omnes creaturas extendens, paſſivam eorum diſpoſitionem, activo ſuo fervore compenſare, & ita velut cauſa agens, ſuum paſſum recte ad eam diſponere, & adaptare. Nullum enim eſt dubium, tanto majoris efficaciæ & virtutis eſſe benedictionem, quanto non tantum *eam* excipientis, ſed etiam major fuerit *impertientis* fervor, pietas & fiducia in Deum, omnem vim illi ſalutari apprecationi impertientem. Nominatim vero in oſculo hoc ultimo Altaris, poteſt cogitare quaſi Chriſto aſcendenti vale dicens, pedes ejus ſanctiſſimos amplexus, oſcularetur.

Data benedictione, Sacerdos librum, vel etiam Altare, ac deinde ſe cruce ſignans, legit ultimum Evangelium.

Myſterium. Chriſto in cælos aſſumpto, *Apoſtoli profecti prædicaverunt ubique* omnibus Gentibus & Nationibus, *Domino*

coo-

Digitized by Google

cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Et ideo hic legitur communiter initium Evangelli S. Joannis, quia hic primum poſt Aſcenſionem datum eſt initium Evangelio apud Gentes prædicando: quam prædicationem quia Deus plurimis miraculis confirmavit. idcirco etiam hoc primum Evangelii caput Joannis iſtic ponitur, quia per hoc plurima paſſim prodigia ſunt patrata, quando per ſolam ejus lectionem, ſpectra, magiæ, dæmones exacti, & ſuper ægros impoſitionem, morbi ſunt depulſi. In ejus lectione conetur Sacerdos actum vivæ fidei circa ſingula myſteria elicere. Notandum etiam venit, non præcipi ab Eccleſia, initio legendi hujus Evangelii, ſignari cruce librum, ſed relinqui liberum, ut vel Altare, ac deinde ſe conſignet, ad indicandum, Legem Evangelicam non eſſe tantum ſcriptam, & libris comprehenſam, qualis erat vetus, ſed etiam traditionibus, & Conciliorum & Pontificiarum definitionum oraculis contineri, ſive ea, quæ credenda proponuntur, ſcripta ſint, ſive non ſint. Id, quod hic profitens Sacerdos, ſignat non jam librum tantum, ſed etiam loco ejus, ſi velit, altare, ac tum ſe ipſum: declarans ſancita Eccleſiæ etiam non ſcripta, ſe pro

Digitized by Google

vera Chriſti & Crucis ejus doctrina agnoſcere, & recipere.

Sacerdos cum dicit: *Et verbum caro factum eſt*, profunde genu flectit.

Myſterium. Eccleſia gentilis obedientiſſime Legi Chriſti ſe ſubjicit, & toto orbe eum ut Salvatorem ſuum adorat, & vehementer exultans humillime gratias agit, quod VERBUM caro factum in ſe potiſſimum habitare elegerit, & gloriam ſuam, abjecta Synagoga, ei manifeſtare.

Sacerdos accepto ad lævam Calice, & capite tecto, recedit ab Altari ad Sacrarium, dicendo: *Benedicite omnia opera Domini, &c.* Veſtimenta ſacra depoſiturus.

Myſterium. Poſtquam prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, tunc veniet conſummatio & finis rerum omnium & benedicent Domino omnia opera ejus in ſæcula ſæculorum; & electi deponentes cum Chriſto veſtem carnis paſſibilem, & tormentis, doloribusque obnoxiam (id, quod veſtimentis ſacrificii figurari monuimus) erunt immortales, impaſſibiles, glorioſi, Quorum gratiarum actio & Dei laus, quia finem nullum unquam eſt inventura, adlaboret etiam hic Sacerdos, ut ſua poſt Sacrificium peractum gratiarum actio, ſit ad modum illius beatæ, fervens, intenſa, pura & per

frequen-

Digitized by Google

frequentes in die ad Deum aſpirationes quaſi continua: exemplo B. Aloyſii, qui tribus Communionem conſequentibus diebus, pro ea percepta gratias agens, & tribus eam antecedentibus, illi accipiendæ ſe præparans, continua Dei laude, & gratiarum actione, vitam illam beatorum vixiſſe cenſeri potuit.

SEPTEM CONSIDERATIONES PRO TOTIDEM HEBDOMADÆ DIEBUS, ANTE SACRIFICIUM, PRO COMMODITATE UTILITER PRÆMITTENDÆ.

CONSIDERATIO I.

I.

Conſidera, te una cum Chriſto ipſo tanquam principali Sacerdote, ratione ſuæ humanitatis, ſanctiſſimæ Trinitati Sacrificium oblaturum, prout docet Conc. Trident. Cum ergo Chriſtus Dominus inviſibiliter cum ſuis

mo fervore hoc Sacrificium offerat, æquum eſt, & te ejus in eadem actione Miniſtrum & Cooperatorem, illi conformare.

II. Conſidera, te fungi Officio Legati totius Eccleſiæ militantis, & exiſtentis in purgatorio, & triumphantis, miſſi ad tractanda ſummi momenti negotia cum SS. Trinitate. Sunt autem hæc negotia: 1. Ut offeratur per hoc Sacrificium D. Deo tributum, in recognitionem ſupremi ejus in nos Dominii, in cujus conſpectu omnes tanquam nihil ſumus. Unde dicitur in Miſſa, *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtra &c.* 2. Ut reddatur gratiarum actio pro omnibus beneficiis, quæ ut auctor naturæ, gratiæ & gloriæ, ab æterno amatis creaturis ſuis, in tempore tribuit huc uſque, ab initio mundi, & deinceps tribuet. Quæ cum infinita ſint, præſertim Chriſto Domino & tot Sanctis per tot ſæcula conceſſa, & adhuc concedenda, cogita quanto fervore in gratiarum actione pro iis opus ſit.

III. Ut placetur divina Majeſtas offenſa a tot ſæculis, innumeris & abominandiſſimis peccatis, pro quibus nec in inferno ſatisfieri poteſt, in hoc autem Sacrificio ex vi Paſſionis Chriſti placatur Deus, ut ea nobis ignoſcat, neque nos puniat.

CON-

CONSIDERATIO II.

I.

Conſidera neceſſitatem hujus Sacrificii: illo enim, qui ſunt in hoc mundo, & purgatorio, egent, hi ut liberentur, & ad cælos migrent, illi ut continuis D. Dei præſidiis adjuventur, quo poſſint liberari a neceſſitatibus tam corporalibus, quam ſpiritualibus, quæ omnes in memoriam revocandæ ſunt. 1. In maxima neceſſitate ſunt male viventes Catholici, Hæretici, Schiſmatici, Judæi, Infideles, Tepidi, Scrupuloſi, & aliis malis & tentationibus afflicti: pauperes, ægroti, incarcerati, ære alieno oppreſſi, perſecutiones, injuſtitias ſuſtinentes &c. qui omnes, ſi non in ſe, in Chriſto Domino certe, utpote Capite, Vicario & Advocato ſuo clamant, petentes his malis liberari. 2. Boni in maxima neceſſitate ſunt, ut in bonitate perſeverent, & qui verſantur in juvandis proximis, ut fructum magnum D. Deo iis offerant &c. Quantus ergo conatus eſſe debet, ut ſingulis divini auxilii particulam impetres, qui omnes tuum Sacrificium, quaſi unicam ſpem ſalutis ſuæ, & acſi nullum unquam præterea toto orbe futurum eſſet, expectant, per te ſupplices libellos porrigunt, divinæ miſericordiæ eos a te ſerio commendari. *pro ſe*

ſuisque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, flagitantes.

II. Conſidera gaudium, quod SS. Trinitas, Cælites, & animæ beatæ percipiunt ex Miſſa, tum quia in eo colitur cultu adæquate correſpondente ſuæ Majeſtàti, tum quia eſt repræſentatio Paſſionis Mortisque Dominicæ, non nuda tantum, ſed æque, uti ipſa Paſſio infinite meritoria, & Deo grata.

III. Conſidera: Cum hoc Sacrificium ſit paſſionis Chriſti repræſentatio, habet ſe primo inſtar imaginis cujusdam: Quocirca nil turpe & fœdum a te in ea ponatur, quod D. Dei oculos offendere poſſit. 3. Eſt veluti actio quædam trag ca, Chriſti mortem exprimens; quare nullus impetus, geſtus a ſpectatoribus, Cælitibus inconveniens notari debet: præſertim cum Sacerdos Chriſti perſonam gerat. Si ergo præſente Rege in theatro, perſonam ipſius Regis agens, dares operam, ut coram illo apte eum referres, quia alias dedecus quoddam, male partes ejus ſuſtinendo, ipſi inureres, ita in hac S. actione. 3. Eſt velut thymiama quoddam, ſpirans D. Deo odorem ſuavitatis. Videndum eſt ergo, ne fœtor aliquis provenientem ex eo odoris fragrantiam corrumpat. 4. Eſt hymnus ſacer & epicedium, ante ſuam mortem a Chriſto

Domi-

Domino compoſitum & inſtitutum, & ab Eccleſia SS. Trinitati in gratiatum actionem cani ſolitum: ideo cave, ne quid abſonum tua culpa in eo audiatur, quod ſuavem harmoniam verborum & orationum diſſipet.

CONSIDERATIO III.

I.

Conſidera: quam male innumeri homines per univerſum mundum D. Deo ſerviant quot & quanta committant peccata; ipſi etiam Religioſi, & Sacerdotes & Prælati, qui majoris perfectionis obligatione tenentur. Quam ſint multi, qui non tam perfecte Dei obſequio, quam potuerint, ſe tradiderunt, in tot rebus otioſis ludicriſque verſantur, nec, ut deberent, de Deo ſemper cogitant, & loquuntur, nec in eo elaborant, ut quam maxime ex illis & in illis glorificetur. Quæ omnia conſiderans, tactus dolore cordis intrinſecus, excita in te vehementem cordis affectum erga Dominum tuum, tam parum ab hominibus honoratum amatumque: ac veluti in compenſationem omnium peccatorum & defectuum, da operam, ut hoc Sacrificium offeras ea devotione & intentione, ut, ſi fieri poſſet, obliviſcatur eorum, quæ fiunt contra ſuam ſanctiſſimam voluntatem; & ut, more noſtro loquendo, totus reſolvatur in gau-

dium & hilaritatem, ex ſuavitate Sacrificii a te in ejus honorem oblati, non tantum propter valorem, quem habet ex opere operato, in quantum a Chriſto offertur, ſed etiam ex opere operantis, in quantum a te immolatur.

II. Conſidera ex altera parte, cum quanto amore, jucunditate & fervore in cælis laudetur, & ametur SS. Trinitas, præſertim a Chriſto Domino & beatiſſima Virgine, quare cogita te cum aliis Sacerdotibus in hac vita eſſe velut in choro Muſico conſtitutum, ut illis tam ſuavem harmoniam facientibus in cælo, tu quoque cum aliis Sacerdotibus velut in altero æmulo choro conſtitutus, non abſimilem edas concentum laudum & precum, ne chorus tuus ab eorum choro diſcrepet. In quo cum melodiæ tuæ ſocium habeas benedictum JEſum, cujus nomine ſacrificas, offer in unione ejus mortis & meritorum hoc Sacrificium, & ut illis ſic unitum præſenta conſpectui divino.

III. Conſidera: Tempus Sacrificii eſſe tibi datum a Deo, tanquam tempus intimæ audientiæ apud ſuam Majeſtatem, in qua, quia optimam commoditatem habes cum eo ſecreto & confidenter agendi, omneſque mundi & tuas neceſſitates proponendi, quam decentiſſime id tranſigere ſtude. Sicut enim ad Regis conſpectum admiſſum turpe eſſet, ac

ſumme

Digitized by Google

ſumme indecens, oculos retrovertere, taciturnitate vel hæſitatione loquendi inviſam reddere legationem, aut frigide graviſſima negotia tractare: ita indecens eſt valde, ſi oculos mentis a Deo avertens, cogitationes tuas ad alia transferas, vel neſcias, nec prævideas, quid Domino Deo proponas, quibus rebus & negotiis auxilium, vel remedium depoſcas: & dum Agnus cæleſtis in divino Sacrificio ardet, atque abſumitur, ut frigidus tantæ flammæ aſſiſtas.

CONSIDERATIO IV.

Ex verbis Conſecrationis.

I.

Conſidera: Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc Sacrificium, *pridie, quam pateretur*: in ipſa nocte ſuæ Paſſionis, tunc quando homines ex inſtante morte & tormentis ſumme turbari ſolent, ipſe nihil de ſe curans, in ſolum noſtri amorem intentus, *deſiderio deſiderat hoc Paſcha nobiscum manducare, antequam patiatur*, quaſi poſt illud libentiſſime paſſurus, quia jam ſuo deſiderio ſatisfactum eſſet. Et cum homines hora illa maxime incumberent, ut horrendis tormentis & ignominiis vitam illi adimerent, ipſe hoc convivium inſtituit, ut vitam illis admi-

admirandis favoribus & deliciis pararet. Hinc diſce, quanta æſtimatione, amore & deſiderio ferri debeas, erga hoc cæleſte donum, quod Chriſtus ipſe ſuper omne aliud, quod cogitari poteſt bonum, maximi fecit.

II. Conſidera: Chriſtum Dominum maxima vultus gravitate, modeſtia ac devotione *accepiſſe ex menſa panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas:* quia ſuis meritis & manuum ſuarum laboribus, ſudoreque ſui vultus & ſanguine, hunc panem lucratus eſt, quem dedit nobis ad veſcendum. Et ut ea ratione oſtenderet, hoc ſummum donum eſſe opus omnipotentiæ & liberalitatis ſuæ, unumque ex operibus ſuis meritoriis, quæ omnia manibus ſignificantur. *Et elevatis oculis in cælum:* ut ſignificaret, panem hunc cæleſtem ſumentes, debere totam mentem, oculos, & animam habere in cælum intentam, & quaſi in Deo abſorptam. Statim Patri ſuo *gratias agens:* pro tam inſigni beneficio, quod ipſius manibus mundo conferebat: docens hac ratione nos, panem hunc magnis gratitudinis affectibus, ante & poſt ſumptionem elicitis, eſſe comedendum. Hoc facto, *panem benedixit*, ad tantum Sacramentum eum præparando: *fregit, deditque Diſcipulis ſuis:* amantiſſimi Parentis viſcera

ſcera indutus, noluit eum ab ipſis Apoſtolis ex menſa accipi, & frangi, ſed ipſe eum fregit, & manibus propriis tenerrime ex corde porrexit, ſingulos materno affectu blandiſſime intuitus dicens: *Accipite & comedite*; tanta enim fuit Apoſtolorum reverentia, æſtimatio & ſacer quidam horror erga hunc diviniſſimum panem, ut, niſi dixiſſet: *Accipite & comedite omnes*, non fuiſſent illi auſi, maxime Petrus, qui ſolam pedum lotionem tantopere exhorreſcebat, vel in manus accipere, multo minus comedere.

III. Conſidera veba illa Chriſti conſecrantis: *Hoc eſt enim Corpus meum.* Per particulam *enim*, cauſam reddens, quare comedere deberent, *quia eſt Corpus meum*, ut, propter quod maxime indignitas noſtra horrere deberet tantum Dei donum vel attingere, cognoſceremus, quomodo propter hoc ipſum ejus infinitus amor in nos, vellet illud penitus in ſtomachum demittere. Atque hic dedit nobis Chriſtus Dominus, quidquid dare potuit, ita ut liberalitatem ſuam penitus exhauriens, nihil ſibi reliquum fecerit, ſe ipſum etiam cum anima, divinitate & ſanguine, rebusque omnibus ſuper addens. Similibus etiam verbis ſanguinem ſuum ſpecialiter nobis tradidit: *Bibite ex hoc omnes, hic*

eſt enim calix ſanguinis mei &c. qui pro vobis, & pro multis effundetur: Primum dicit *pro vobis:* ut eos ad compaſſionem permoveat: id, quod ipſum tu etiam tibi *dici* cogita: *effundetur:* in terram ſcilicet conculcandus tanquam res viliſſima & nullius momenti *in remiſſionem peccatorum:* ut exhorreſcamus infinitam peccati gravitatem & malitiam, quod hujus tantæ crudelitatis unica cauſa fuit, omnino aliter faciliori modo non expiabile.

IV. Conſidera ultima Chriſti verba: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Vel: ut alius Evangeliſta; *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis primo Apoſtolis in Sacerdotes ordinatis, eorumque ſucceſſoribus, dedit eandem Corporis & Sanguinis ſui, quotiescunque vellent, illimitatam conficiendi poteſtatem. 2. In ſui memoriam hoc fieri voluit, oſtendens, nihil ſibi gratius ab eis in compenſationem ſuæ Paſſionis fieri poſſe, nec ſe aliquid melius habere, quod eis pro memoria relinqueret. 3. Ac proinde addens: *Quotiescunque* indicat ſe vehementiſſime deſiderare, quam ſæpiſſime hoc ipſum fieri, dum, quotiescunque, quavis die, occaſione & tempore illud facere præcipit. Ex quibus

bus omnibus ſtupendiſſimum ejus in homines amorem, & immenſum benevolentiæ affectum admirans, excita te ad offerendum hoc ei Sacrificium, ſi poſſis, Seraphico quodam fervore, & ardentiſſima devotione.

CONSIDERATIO V.

I.

Conſidera & imitare Chriſti Domini in Euchariſtia exiſtentis virtutes, ad digne celebrandum neceſſarias. 1. Humilitatem, qua in Dei gratiam ſub tam vilibus ſpeciebus, cum heroica patientia ſe exponit infinitis injuriis, deſpectibus, dum in ſordidiſſimam ſtomachi cloacam, per fœtidiſſimum os deſcendit, in ſputis & phlegmate natat, a ſceleſtis conculcatur, ad ipſas adeo magias adhibetur, & dæmoni in cultum immolatur, & offertur, nec a ſimplici pane, & hoſtia non conſecrata, ullatenus diſcernitur. 2. Gratitudinem in Deum & charitatem, qua voluit in hoc Sacramento realiter exiſtens, ipſe per ſe gratias Deo agere pro beneficio Redemptionis &c. cum nos ad eas reddendas plane inſufficientes eſſemus, idque toties, quoties in toto orbe ſingulis horis & momentis Sacrificium Miſſæ offertur.

II. Conſidera: Tertiam illius virtutem, charitatem proximi, quam oſtendit, dum in com-

compenſationem & memoriam Paſſionis ſuæ, doloribus & ignominia pleniſſimæ, non tantum nihil viciſſim durum & difficile a nobis requirit, ſed convivium ſuavitate & jucunditate pleniſſimum, de ſe ipſo nobis inſtituit: declarans per hoc, quanta ſua voluntate pro nobis Paſſionis labores ſubierit, cujus memoriam inter convivandum hilariter a nobis voluit celebrari, ſibi eligens dura & acerba, nobis relinquens jucunda & delicioſa, paratus toties pro nobis venire ad patiendum & moriendum, quoties in ſanctiſſimam Euchariſtiam deſcendit. Quarto: promptitudinem in Dei obſequio, quam declarat, in momento ad unicam Sacerdotis, etiam ſceleratiſſimi, vocem, in hoſtiam deſcendendo, ut in ea Patri æterno ſe offerat, illum colat, & honoret.

II. Conſidera quintam ejus virtutem, zelum animarum, dum nullo ſuo commodo in Euchariſtia exiſtens, tam diu ſervari, occludi, & detineri patitur ſolus in templo, & hinc inde per plateas & domos deferri, expectans, ut ab aliquo ſumatur, & ſic animam ejus adjuvet: & in mille partes ſe quodammodo verſans & diſtrahens, ut tanto pluribus ſumptus prodeſſe poſſit: in qualibet hoſtiæ mica totus exiſtit, ut illa fracta, ipſe nihilominus in quavis ejus parte totus a quolibet ſumatur. Et ideo etiam non ſub aliis pretioſioribus,

ribus, quam panis & vini ſpeciebus ſe collocavit, ut omnibus prodeſſe poſſet, quia hæ maxime communes & facile omnibus parabiles ſunt. 6. Summum contemptum rerum omnium creatarum, & commoditatum, dum relicto etiam quodammodo cælo & ejus commodis, venit in hoſtiam, in eaque ſæpe ſine omni honore, a nullo viſitatus, multis ſeptimanis manet in aliquo angulo, donec ſpecies corrumpantur: non curans, an a divite aut paupere, an a ſano vel ægro, & ſanie ac ulceribus diffluente ſumatur, mundo an immundo loco reponatur, in ſolum Dei cultum & gloriam promovendam intentus.

IV. Conſidera 7. puritatis & caſtitatis amorem, quo ita implacabiliter omnem immunditiam perſequitur, ut licet ſordes corporis nil exhorreſcat, animæ tamen fœditates ita exoſas habeat, ut, ſi ab ea talibus ſpurcitiis infecta ſumatur, æternis ignibus injuriam hanc ulciſcatur. 8. Senſuum omnium cuſtodiam, dum in Venerabili membris omnibus invicem penetrantibus, & in quavis mica idem ſpatium & locum occupantibus, neque naturaliter defectu organorum videt, neque audit &c. Ut & tu ad eum recipiendum venias, ſenſibus omnibus internis & externis bene collectis, & ad omnia alia verba & diſtractiones penitus occluſis.

CON-

CONSIDERATIO VI.

I.

Conſidera: præter alios effectus, hoc *Sacramentum* etiam eſſe nobis in *Pignus futuræ gloriæ.* Sicut enim inter homines, ut ſolutio debiti ſit ſecurior, aliquod ſignum & pignus Creditori traditur pretioſum, & quod ſit majoris vel æqualis valoris cum re, quæ poſtea eſt reddenda; ſic Deus, eſto fideliſſimus, pro aſſecuratione noſtra dedit nobis id, quod habuit pretioſiſſimum, Filium ſuum æque bonum, ac ipſe Pater eſt, qui non tantum eſſet pignus ſimpliciter nos ſecuros de beatitudine (quantum eſt ex parte *Dei*) reddens, ſed etiam medium efficaciſſimum ad eam conſequendam: quia per ſumptionem ejus obtinetur venia peccatorum, præſervatio a futuris, alimentum acceptæ gratiæ, cum perſeverantia in ea uſque ad finem, & jus futuræ gloriæ.

II. Conſidera modum ineffabilem, quo pignus hoc nobis datum, eo ipſo cauſat in nobis jus ad gloriam: dum nimirum per modum cibi nobis conjunctum, unum quid nobiſcum efficitur, faciens nos idem cum Chriſto, & illi intime uniens, ut jam tunc vivamus, non jam nos, ſed vivat in nobis Chriſtus; quibus proinde ſic jam idem cum Chriſto factis, omni

mni rigore juſtitiæ beatitudo æterna debetur, quaſi cuidam alteri Chriſto. Unde poteſt tunc appoſitiſſime homo uſurpare illud Davidis: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus*, & ita non per ſe tantum, ſed etiam per Chriſtum, tanquam alterum ſe, Deum laudare, orare, & deprecari. Expreſſit hanc ſui, cum manducante ſuum corpus, quaſi identificationem Chriſtus ipſe dicens: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et per S. Auguſtinum ita loquens: *Non tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me.*

III, Conſidera: Quanta inde naſcatur in te obligatio, vitam quandam cæleſtem inſtituendi, & ita vivendi, ſicut ipſe Chriſtus vixit, cum quo non tantum moraliter per charitatem & gratiam ſanctificantem in ſancta Communione unum quid efficeris, ſed etiam vere ei conjungeris, quando poſt unionem hypoſtaticam, & maternitatem Chriſti, nullus alius major illi ſe uniendi modus ſupereſt, quam per modum cibi & alimenti.

IV. Conſidera: Quod hoc Sacramentum ſit etiam Viaticum in Domino morientium, ad tranſeundem ſecure ex hac vita in alteram. Cum etiam via illa hoſtibus undequaque

Digitized by Google

que tunc conglobatis, & vires ultimas experturis obſeſſa, mille periculis æternæ ſalutis ſit repleta, voluit ipſemet Dominus admirabili invento, ſe in viæ illius ducem & ſocium nobis dare, & ita cibo hanc animam noſtram roborare, ut in fortitudine ejus cum Elia, ſecura *ambulet, & perveniat uſque ad montem Dei Horeb.* Quo in tranſitu ut fructuoſe panem hunc comedas, expedit aſſueſcere, ut, quoties ad Communionem accedis, eo ſpiritu te diſponas, atque ſi pro Viatico eum ſumeres, cogitans, illam forte in vita tua ultimam fore.

CONSIDERATIO VII.

I.

Conſidera juxta vulgares illas circumſtantias, omni meditationi deſervientes: *Quis, quid, cui, quomodo, quare, cur,* 1. Quis tu ſis, qui celebraturus, & communicaturus es; ſumme miſer, maxime indigus, extreme indignus &c.

II. Conſidera: Quid & quem ſumpturus ſis? Deum æternum, omnipotentem, Judicem tuum, eundem, qui in cruce pependit, ſumme ſanctum, liberalem, &c. Item, cui eum oblaturus ſis? ſoli Deo, excellentiæ infinitæ: cum tantæ eminentiæ Sacrificium ſit, ut nulli Sanctorum, ſed ne omnibus quidem ſimul ſumptis offerri poſſit.

III. Quomodo ad te is venturus ſit. Sufficere quidem potuiſſet ad ſalutem conſequendam, ut hoc Sacramentum intueremur, ſicut Judæi *æneum ſerpentem* Num. 21. Vel manibus tantum contingeremus, ſicut mulier fimbriæ Chriſti attactu, a ſanguinis fluxu liberata Luc. 8. &c. Sed ipſe voluit longe alio arctiore modo nobis ſe conjungere inſtar cibi ad animam noſtram ingrediendo.

IV. Conſidera: Quare, & quem in finem veniat, qui ſolus & totus eſt ad bonum & commodum meum. Venit enim tanquam Salvator, ut ſceleribus meis ignoſcat. Ut vindex, ut de hoſtibus meis ultionem ſumat, paſſiones, concupiſcentiam, tentationes &c. reprimat. Ut medicus, qui ab omnibus ægritudinibus ſpiritualibus me liberet. Ut Magiſter, qui luce inſpirationum ſuarum me erudiat. Ut Mater & nutrix, quæ me puerulum lacte deliciarum ſuarum nutriat. Ut dives Dominus; qui egentiſſimo mihi ſtipem largiſſimam tribuat. Ut Pater, ſupra collum filii dilectiſſimi incidens, de adventu meo ad ſe lætiſſimus, & ſtola prima gratiæ me induens. Ut frater natu major ad minorem, ut me hæreditatis ſuæ participem efficiat.

SEPTEM

Digitized by Google

SEPTEM MODI DIVERSA INTENTIONE SACRIFICIUM MISSÆ, PER TOTIDEM HEBDOMADÆ DIES, DOMINO DEO OFFERENDI.

DIE DOMINICA.

Sacrificium holocauſti.

Erat hoc Sacrificium ex omnibus præcipuum, Deoque gratiſſimum, in quo tota victima in cineres redigebatur, & in odorem ſuaviſſimum ſoli Domino cremabatur, nec quidquam ex ea pro ſe, vel pro aliis Sacerdos ſumere, & in uſus ſuos convertere (quod tamen in aliis Sacrificiis licebat) poterat. Tale Holocauſtum D.Deo offeres, ſi Sacrificium Miſſæ pure ex amore Dei, ad guſtum illius, nullum tuum vel alterius commodum ſpectando, celebraveris, præciſe ut ei rem gratam exhibeas, propter ſe, & propter illius bonum, nihil ab eo in compenſationem petendo vel expectando, niſi, ut ei bene ſit, & ipſe ex hoc voluptatem capiat, propter bonitatem & dignitatem ſuam. Quem

affe-

affectum per totum Miſſæ decurſum, omnesque ejus precationes exprimere conaberis. Intentionem autem ante Sacrum hac oratione facere poteris.

O immenſe, omnipotens & miſericordiſſime Domine, ego miſerrimus & indigniſſimus peccator, in inferno ardere millies promeritus, & conſpectu tuo prorſus indigniſſimus, tamen ex infinita miſericordia tua elevatus a te in ſtatum Eccleſiæ primarium, & dignitatem Apoſtolicam, ut tibi Deo ſupremo, Excellentiæ infinitæ, corpus & ſanguinem Filii tui offerrem, & manibus meis omni ſpurcitia fœdis, & quæ in ſordibus & abominandis fœditatibus volutari deberent, illud tangerem, & tractarem: coram te Deo meo, Domino vitæ & necis meæ, ac omnium, jam compariturus, & actionem hanc ſacratiſſimam exerciturus, offero tibi eam, o digniſſime Domine, ad laudem & gloriam ſanctiſſimi Nominis tui, ad guſtum & beneplacitum dulciſſimi cordis tui, deſiderans ex intimis animæ meæ viſceribus, ut id a te in odorem ſuaviſſimum recipiatur, cedatque ad exhilarandam piiſſimam bonitatem tuam, pure propter te, gratis, quia dignus es. Utinam o Domine! puriſſimum etiam ex me holocauſtum offerre tibi poſſim, ut totus inſumar, & conſumar pro honore tuo, nec quidquam mihi ex me retineam, ſicut fecit dilectiſ-

lectiſ-

lectiſſimus Filius tuus, in cujus ſanctiſſimi Sacrificii unione, quod idem Unigenitus tibi in ultima cœna & cruce obtulit, offertque etiamnum quotidie ſempiternus Pontifex; offero tibi hoc Sacrificium ex ſincero amore tui, quia infinito amore honoreque es digniſſimus, ac deſiderio Sanctiſſimi beneplaciti tui complendi, & faciendi, quod per eum inſtituiſti, & fieri præcepiſti. Sit tibi o Domine, tota gloria tua, & honor venerandi Nominis tui, pro quo in vilitate mei *nihili* proteſtatus, tibi per hoc ſanctiſſimum Sacrificium gratias æternas ago, quia tu ſolus ſanctus, ſolus ſapiens, ſolus Dominus, ſolus omnipotens Deus es beatiſſimus in te ſolo & propter te ſolum in ſæcula ſæculorum, Amen.

FERIA II.

Sacrificium Latreuticum.

Eſt quidem Sacrificium ex ipſo ſuo genere & natura, cultus Latriæ ſoli Deo debitus, per quod colitur Deus tanquam ſupremus Dominus omnium vitæ & mortis. Quia tamen varii etiam alii fines eſſe poſſunt, qui in Sacrificio intendatur, offeras illud hodie expreſſe in adorationem ſupremæ Dei excellentiæ & juriſdictionis: proteſtando per illud, & agnoſcendo illius in omnia Domi-

nium

Digitized by Google

num & poteſtatem, eique te ſubjiciendo, & intime gaudendo de hac ejus ſuper omnia eminentia, ita ut hunc affectum per omnes etiam Miſſæ orationes & verba (id, quod in reliquis deinceps Feriis ſimiliter obſervandum eſt) elicere ſtudeas.

O beata Trinitas, unus Deus, infinite amabilis, laudabilis, & ſuperexaltabilis, quam immenſa eſt magnitudo ineffabilis, & incomprehenſibilis Majeſtatis & Potentiæ tuæ! ante quam demiſſiſſime proſtratus, toto corde & affectu adoro, & glorifico omnem perfectionem tuam, ad uſque inferni noviſſima, abjiciendo vilitatem meam, præ adoratione immenſæ magnitudinis tuæ; cui me cum anima & corpore ſubſternens, gaudeo ſummopere, te Deum, & me creaturam tuam eſſe, per omnia tibi ſubjectam, ſummeque exulto, quod ſine te nihil ſim, nihil poſſim, quoad vitam & mortem a tua voluntate & arbitrio unice dependens. Unde faveo & & gratulor tibi medullitus, hanc ſuper me & creaturas omnes omnimodam potentiam, uti & omnem honorem, laudem & adorationem tibi unquam exhibendam, poſſibilem exhiberi, ab omni poſſibili creatura, nec digne poſſe æſtimari, amari, glorificari, niſi a te ipſo & Unigenito tuo Salvatore noſtro, quem proinde tibi in Sacrificium laudis, infinita Majeſtate tua dignum offero, cum omnibus

ejus infiniti meriti internis externisque actibus, reverentiæ, adorationis, ſubmiſſionis, zeli gloriæ tuæ, cum omnibus Sacrificiis laudis & obſequiis, quibus te glorificavit olim in terris, & nunc glorificat æternum in cælis. Utinam te ſic tota vita in omnibus, ſuper omnia, gratis propter te, omni poſſibili reverentiæ affectu adoraſſem! cupioque ex nunc ſemper laudare, amare, venerari, hanc ſupremam Majeſtatem tuam, profundiſſima cum ſubmiſſione æternum decantans: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEus Sabaoth: pleni ſunt cæli & terra gloria tua.*

FERIA III.

Sacrificium Euchariſticum.

Vocatur Miſſæ Sacrificium per excellentiam, & propriiſſime Euchariſtia, quia primario a Chriſto inſtitutum eſt in memoriam & gratiarum actionem pro omnibus Dei beneficiis, Redemptionis, Sanctificationis &c. Unde offeres illud hodie Deo in Sacrificium Euchariſticum, ſive gratiarum actorium, reddendo illud pro omnibus ejus tam communibus in omnes, quam privatis in te unquam collatis, & deinceps conferendis beneficiis, hac oratione præmiſſa.

Libera-

Liberaliſſime & munificentiſſime Domine, agnoſco, & amplector totis medullis animæ meæ æternam miſericordiam iſtam erga me, qua me ſic ab æterno diligendo creare, & numero fidelium tuorum, ſine ullis meritis meis, gratis adſcribere, educare, gubernare dignatus es: & cum millies ob peccata mea juſtiſſime damnare poſſes, vitam tamen ad pœnitendum concedens, pretioſo inſuper Filii tui corpore ſatiaſti. O amabiliſſime Domine! ſis æternum bededictus pro vere paterna tua circa me providentia, quem toties a periculis animæ & corporis liberaſti, tam ſolicite in via ſalutis deduxiſti, &(quod firmiſſime ſpero, ſummopere expoſco) in numerum Electorum tuorum prædeſtinaſti. Et quid de pretioſa Filii tui, Domini mei, Paſſione & ſanguinea morte dicam? nequeo, mi Deus, ullatenus pro hoc & infinitis aliis donis, ſatis gratus eſſe, minor ſum ego omnibus miſerationibus tuis. Verumtamen gaudeo, quod nihil ex me infinita liberalitate tua dignum inveniam, ſed omnis ſufficientia mea ex Chriſto & meritis illius ſit: quem totum proinde offero infinitæ Majeſtati tuæ, cum pretioſiſſimo ejus ſanguine, in compenſationem & remunerationem omnium donorum tuorum, mihi & omnibus creaturis, etiam ingratis & reprobis, præſertim autem ſacratiſſimæ humanitati, beatiſſimæ illius ac meæ

Digitized by Google

Matri, & Electis omnibus collatorum, & unquam deinceps conferendorum. Suſcipe Pater benigniſſime, omnes illos exceſſivos Filii tui gratitudinis actus, & obſequia infinitæ dignitatis, quæ omnia tibi per Sacrificium hoc, omni, quo poſſum, affectu præſento. Multiplica o Domine! deinceps etiam ſuper nos ſemper miſericordiam tuam, & aperi liberaliſſimam manum tuam, ut copioſis a te beneficiis repleti, æternas in cælo cum Beatis tibi reddamus gratiarum actiones, Amen.

FERIA IV.

Sacrificium Propitiatorium.

Inter reliquos Chriſto Domino a ſacra Scriptura attributos titulos, vocatur etiam a Spritu ſancto *Propitiatio pro peccatis noſtris*; quam propitiationem non tantum in cruce ſemel pro nobis abunde præſtitit ſanguinem fundendo, ſed exhibet quotidie etiam in Sacrificio Altaris eundem Deo offerendo. Magna omnino Sacerdotis felicitas, qui tam efficaci remedio iram Dei ſibi & aliis ob innumera peccata infenſi, quotidie placare, ſibique propitium eum facere poteſt. Quod, ut hodie quam optime præſtes, ſequentem præmittes orationem:

O Pa-

Digitized by Google

O Pater miſericordiarum, & Deus infinitæ clementiæ & bonitatis, qui pietatis tuæ viſcera ſuper nos ingratiſſimos filios tuos latiſſime aperis, averte, obſecro, oculos bonitatis tuæ ab innumeris peccatis meis, & totius mundi, quibus ſanctitatem tuam iniquiſſime offendimus quotidie rebelles filii tui. Quam enim innumerabilis eſt multitudo & magnitudo tot culparum mortalium & venialium, quibus pietatem tuam ſingulis momentis & horis undique ingratiſſime impetimus, digniſſimi toties æternis gehennæ ſuppliciis, quoties dæmoni capitaliſſimo tuo & noſtro hoſti, per peccatum adhæremus? Habes Domine confitentes reos: novimus, quod, niſi tu dimittas, nemo ſit, qui ſalvare nos poſſit. Parce Domine, parce populo tuo, neque permittas, ut perdat nos improba malitia noſtra, quos fecit infinita bonitas tua. Ne iraſcaris æternum, ſi cadimus pupilli tui, quoniam tu noſti figmentum noſtrum, Dominus Deus noſter. Nam ſi non peccaverimus, itidem tui ſumus, quoniam apud te ſumus computati. Num Deus inæſtimabilis fortitudinis, contra folium, quod vento rapitur, oſtendes potentiam tuam? Si enim velis, potes nos ſalvare: nos autem etſi vellemus, non poſſumus. Aſpice ſanguinem innocentiſſimi Filii tui pro nobis in cruce effuſum, & propter illum ignoſce nobis, & pec-

cata noſtra clementer dimitte. Ille te moveat ad miſerendum, qui ordinatione tua in remedium ſcelerum noſtrorum profuſus, clamat ad te in cælum, implorans nobis miſericordiam tuam. Tu vero amantiſſime JEſu, dignare hodie per hoc Sacrificium fieri abundantiſſima propitiatio pro peccatis noſtris, & ſicut olim in cruce cum clamore valido & lacrymis orans pro nobis exauditus es pro tua reverentia, ita nunc per ſanguinem eundem pro nobis ſacrificatum intrans in Sancta Sanctorum dignare æternam nobis invenire redemptionem, per lacrymas, ſudorem, mortem tuam.

FERIA V.

Sacrificium Veſpertinum.

Accepit hoc nomen ex re ipſa, quod Deo ſub veſperam offerri ſoleret, juxta illud Davidis ad Sacerdotes monitum: ***Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſervi Domini, in noctibus extollite manus veſtras in ſancta, &c.*** Quam Sacrificii rationem Chriſtus etiam in pretioſi corporis & ſanguinis ſui oblatione ſervaturus, inſtituit, & obtulit hoc incruentum Sacrificium prima vice veſperi, ante captivitatem ſuam poſt cœnam. Cujus exemplum tu ſequens, intende expreſſe il-

lud

Digitized by Google

lud offerre Deo, ut eſt memoria Paſſionis Chriſti, qui fuit veſper ejus vitæ, & quaſi ultimo illud celebrares, ſumendo Chriſtum, tanquam paulo poſt moriturus, in Viaticum, petes tibi & aliis felicem vitæ veſperum & exitum concedi, hac præmiſſa intentione:

Amantiſſime JEſu, Deus cordis mei, ſpes unica vitæ & ſalutis meæ, recordare ineffabilis illius dilectionis, qua dulciſſimum cor tuum erga Patrem æternum immenſi amoris flammis accenſum tunc æſtuabat, quando pridie mortis tuæ, ultima vitæ veſpera, immemor omnium crudeliſſimorum tormentorum, quæ ab ingrata gente nocte illa paſſurus eras, ſolum Patris tui honorem ardentiſſime ſitiens Sacrificium novum de corpore & ſanguine tuo inſtitutum ei obtuliſti, & nobis in memoriam tui facere præcepiſti. Memento, quæſumus Domine, immenſi illius mœroris, quo afflictiſſimis Diſcipulis tuis ultimum valefaciens, in perennis dilectionis memoriam, te ipſum illis hoſtiam veſpertinam in cibum & ſolatium animarum tradidiſti, idemque pretioſiſſimum corpus, & ſanguinem proprium ſacratiſſimo ore tuo pridie mortis ſumens, nobis illud in Viaticum æternitatis exemplo hoc reliquiſti. Mi dulciſſime Domine, quid dabo tibi pro hoc infinito exceſſu indicibilis amoris? ah Domine parum eſt, ſi vitam & ſanguinem cum anima expendo! il-

lud ergo dabo, quod deſiderio maximo unice a nobis deſideraſti, & in commemorationem tui facere nos juſſiſti. Panem cæleſtem, & calicem ſanguinis tui accipiam, & in memoria ac unione hujus tui veſpertini Sacrificii offeram æterno Patri tuo. Tu ſumme ac æterne Pontifex, ſupple imperfectum meum, & per te ipſum conſpectui divino illud præſenta, quod ego toto cordis mei affectu, hodie fortaſſe a juſtiſſima voluntatis tuæ ſententia e vita evocandus, tibi offero: demiſſiſſime ſupplicans, ne ſubitanea morte ſine hac eſca obire me permittas, ſed gratiam tribuas nunc & ſemper, & ultima etiam exitus mei die, hoc Sacramentum tibi digne immolandi, & ſalubriter ſumendi. Accipe igitur anima mea, ſoror chariſſima, Viaticum D.N. JEſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æteram, Amen.

FERIA VI.

Sacrificium Expiatorium.

Principalis hic fere eſt effectus Miſſæ, quæ mediis Chriſti meritis ac morte pœnas ſceleribus & peccatis noſtris debitas expiat, & tollit, idque infallibiliter in omnibus iis perſonis, pro quibus Sacerdos celebrare intendit, & quibus hunc Sacrificii valorem a

Deo

Digitized by Google

Deo vult applicari, niſi ex parte illorum obex aliquis & impedimentum obſiſtat. Ex quo patet, quantæ charitatis & meriti ſit Sacrum, non tantum in relaxationem pœnarum ſuis peccatis, vel amicorum vivorum debitarum, ſed maxime pro animabus purgatorii celebrare, quibus per ſe ipſas nullatenus juvare ſe potentibus, nihil ita proficuum eſt, nec efficacius e flammis illis ereptas cælo inſerit, quam virtus hujus divini Sacrificii. Imitatus ergo hodie Machabæos, offer defunctis tuum Sacrificium, *ut a peccatis*, ſcilicet quoad pœnam, *ſolvantur*, hac facta intentione:

Æterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas fidelium ad imaginem & ſimilitudinem tuam procreatas, & ad æternam gloriam, tuique beatam poſſeſſionem conditas. Ecce Domine his ipſis teterrimus atrociſſimorum ignium carcer impletur. Memento JEſum dilectum Filium tuum pro illarum ſalute atrociſſimam ſubjiſſe necem, & peccata earum in ſuo corpore tuliſſe, & ne a tua juſtitia punirentur, crudeliſſima ſupplicia pati voluiſſe. Noli, quæſo Domine, ultra permittere, ut a nequam ſpiritibus in tormentis crucientur, & in lamentabili exilio a facie tua ejectæ diutius detineantur: ſed pœnis innocentiſſimi Filii tui, ac meritis hu-

jus Sacrificii placatus, recordare miſericordiæ tuæ, & oblitus malitiæ & contumaciæ illarum, jube eas per ſanctos Angelos divino conſpectui tuo præſentari: ut illæ a pœnis ſuis liberatæ, videant aliquando, laudent, & glorificent æternam Majeſtatem tuam, gratias reddentes Domino noſtro JEſu Chriſto, cujus meritis & ſanguine tormentis illis ereptæ, ſempiterni gaudii compotes fuerint effectæ. Nam Deus miſericors continere potes viſcera pietatis tuæ ſuper lacrymis & gemitibus earum? Audivimus de miſericordia tua Domine, quia, ſi obliviſcatur mulier infantem ſuum, ut non miſereatur ei, tu tamen noſtri non obliviſceris. En ad oſtium tuum pulſant, Pater miſericordiſſime, deſideria rugientium præ dolore animarum, & clamores lacrymantium oculorum. Audi ejulatus pupillorum tuorum, & porrige manum adjutricem, ut retrahat eas de profundo flammarum, de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, ne crucientur vidente miſericordia oculorum tuorum, aſpiciente clementia viſcerum tuorum. Pater ſancte ſerva eas, ut evadant ad te Dominum Deum ſuum, ut videant divitias Regni tui, & intueantur faciem tuam ſemper, & lætentur coram te corde perfecto, per lacrymas, dolores, & mortem Filii tui, Amen.

SAB-

Digitized by Google

SABBATO.

Sacrificium Impetratorium.

Si modicum oculos mentis Sacerdos reflexerit ſuper innumeras ſuas, & totius mundi, tam corporales, quam ſpirituales neceſſitates, facile advertet, quantum opus habeat liberali Dei munificentia, quam proinde omni modo conabitur, tam erga ſe, quam alios omnes flectere, & efficaces gratias, & neceſſaria auxilia impetrare. Specialiter autem petet per hoc Sacrificium ſuam prædeſtinationem, Gentilium, ceterorumque infidelium, & peccatorum converſionem, atque in bono perſeverantiam, hac facta intentione:

Aſpice Pater amantiſſime, Deus animæ meæ, oculis miſericordiæ tuæ, & compatere miſeriis, ac tantis indigentiis noſtris. Vide Domine, & conſidera animas Gentilium, Turcarum, Judæorum, Hæreticorum, Peccatorum, omnium ad imaginem tuam conditarum: & ecce Domine in opprobrium tuum, his ipſis infernus quotidie impletur. Mitte ergo operarios in meſſem tuam, ut & ipſi agnoſcant, timeant, ac diligant aliquando, quem miſiſti Dominum noſtrum JEſum Chriſtum. Clementiſſime Deus, aſpice etiam & conſidera inenarrabilem multitudinem con-

Digitized by Google

cupiſcentiarum, infirmitatum, tribulatio-num, injuriarum, ærumnarumque corporis & animæ, quibuscum undique filii tui, creaturæ tuæ, miſere colluctamur, quæ non raro tot nobiliſſimas animas pretioſiſſimo Filii tui ſanguine redemptas æ, omni ſpe cæleſtis beatitudinis pondere ſuo exuunt, & vitam lacrymoſam inter gemitus & ſuſpiria degere faciunt. Ecce Domine ſanguis Filii tui pro nobis effuſus clamat ad te in cælum opem implorans. Audi Domine ſupplicationes noſtras, & pietate tua nobis ſuccurre, ſicut ſcis, & vis. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter honorem Chriſti libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris. Novimus enim Domine, quod, niſi tu ſuccurras, nemo ſit, qui liberare poſſit, & ideo offerimus tibi Unigenitum Salvatorem noſtrum, cum infinitis ſuſpiriis gemituum, deſideriorum, laborum; dolorum, cruciatuum ejus, ut neceſſitatibus noſtris benigne ſuccurrere, nobisque partem aliqnam & ſocietatem cum electis tuis & æterna beatitudine digneris concedere, Amen.

GRATIARUM ACTIO POST SACRUM.

Proportionato modo ad has praxes offerendi Miſſæ Sacrificium, potes etiam poſt illud formare gratiarum actionem eliciendo ſimi-

ſimiles actus, & adhibendo preces competentes. Exempli gratia ex Affectibus piis P. Palmæ (ſi eos habeas) die Dominica recitare potes a Sacro actum amoris Dei, gratulationis & laudis. Feria 2. Actum adorationis &c. Feria 3. Actum gratiarum actionis. Feria 4. Actum doloris, contritionis, propoſiti. Feria 5. Actum oblationis, reſignationis & ſic deinceps. Ac poſtmodum alias preces gratiarum actorias, ſeu communes & ordinarias, ſive ex proprio ſenſu & pietate depromptas & compoſitas, ſubjungere.

Aut ſi pro varietate magis placeat, potes die Dominica, concipiendo Chriſtum Dominum intra te quaſi Patrem amantiſſimum cogitare, & te ipſius eſſe Filium, cui proinde ex filiali affectu omnia benevolendo, & ad omnes voluntates ejus faciendas te offerendo, quam maxime fiducialiter cum eo ages, & varios competentes actus interim elicies.

Feria 2. Similia proportionate facies, ſed cum magna reverentia, & ſacro quodam horrore, cogitando illum intra te tanquam Deum immenſum, omnipotentem, Dominum vitæ ac mortis tuæ, Regem potentiſſimum in ſolio Majeſtatis reſidentem.

Feria. 3. Ut maximo benefactori, & liberaliſſimo amico, cum maxima gratitudine beneficia in te collata repræſentabis, & nova implorabis.

Feria 4. Imaginaberis illum talem, qualis in cruce & flagellatione fuit, totus pro te vulneribus conciſus, dolebisque, compatieris, deprecaberis, emendationem propones.

Feria 5. Cogitabis te quaſi ex Apoſtolis unum, cœnæ illi ultimæ cum ipſo, ut Magiſtro tuo intra cor tuum aſſidere, & conaberis affectus ipſius tunc erga Deum elicitos exprimere, & doctrinam ipſius ac ſalutaria monita audies.

Feria 6. Videbis ejus vultum ut Judicis ſeveri iratiſſimum, graviſſimas pænas de animabus purgatorii (quas ad vivum concipere ſtudebis) repetentem, & tam pro te, quam pro illis ſimiles pœnas per actus congruos deprecaberis.

Sabbato, cogitabis illum, ut Fratrem tuum amantiſſimum natu majorem, tibique ſumme addictum, & hereditatis ſuæ participem facere cupientem ad te adveniſſe, ut omnibus neceſſitatibus tuis mederetur.

Præter hæc & varias paſſim in libellis precatoriis orationes, & gratias agendi preces, modosque, ex proprio affectu, & privata cujusque devotione adinventos, potes etiam ſuaviter aliquem, vel aliquos ex his ſequentibus actibus virtutum & precum jaculatoriarum ruminando, identidem elicere & iterare, illud ſemper, quantum commoditas loci feret, ſervando, ut hanc gratiarum actionem

nem in aliquo ſecreto loco vel angulo, extra aliorum conſpectum peragas. Incredibile enim eſt, quantum ad ferventem orationem (quæ tunc cum Domino intra te præſente collectiſſima, ſi unquam, ſit, oportet) juvet locus ſecretus, & a conſpectu, colloquio, & præſentia aliorum remotus.

ACTUS VIRTUTUM BREVES

Ad modum Jaculatoriarum Precum compoſiti, qui a Sacerdote per diem ſæpius utiliter uſurpari & ruminari poterunt, uti & ab alio quocunque poſt S. Communionem.

Uſitatiſſima, ſimulque facillima SS. Virorum praxis hæc ſemper fuit, ut, cum aſſidue longis oratiouibns & meditationibus per diem vacare non poſſent, brevibus quibusdam mentis in Deum per brevem aliquam ſententiam elevationibus, quaſi quibusdam faculis, fervorcm & devotionem ſuam centies & millies excitarent, quæ propter maximam ſuam varietatem fere majorem fructum & devotionem in anima parere ſolent, quam prolixæ conſiderationes. His igitur ſubinde per totam diem, ante & poſt Sacrificium ſe ad pietatem & gratitudinem Sacerdos excitabit, unam aliquam ex omnibus, vel duas, quæ maxime placuerint, pro teſſera ejus diei, continue, quantum fieri poteſt, repetendas deligendo.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS ADORATIONIS, LAUDIS, GRATIARUM ACTIONIS.

Benedictus D. Deus meus, ipſi honor & gloria uſque in finem.

O Domine, mortuus licet forem, in vitam ad te laudandum redire percuperem.

Dignus es Deus meus, ut pro te vileſcamus.

Tibi ſoli honor & gloria, nobis autem opprobrium ſit & contemptus, Domine Deus noſter.

Tu Dominus, nos mancipia: Tu Deus, nos lutum: tu Dominator, nos ſcabellum pedum tuorum.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo.

In te cantatio mea ſemper, & tu adjutor fortis.

Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.

Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

O Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea.

Domine minor ſum omnibus miſerationibus tuis.

Quis ego ſum, Dominus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me hucusque? Ec-

Digitized by Google

Ecce Deus meus, & honorabo eum; Deus Patris mei, & exaltabo eum.

ACTUS AMORIS DEI.

Deus meus, tu totus meus, & ego non totus tuus;

Ah ſi eſſem tuus o JEſu!

Moriatur anima mea in Chriſto, vivat autem JEſus.

Diligam te Domine fortitudo mea, diligam te.

Eſto tu Deus mecum contentus, & pone me etiam in tortura.

O amare! o ire! o perire! o ad Chriſtum pervenire!

Non eſt dignus vita, o JEſu, qui non vult vivere in te.

Duo minuta corporis & animæ mihi ſunt ſuper, utrumque tibi do, bone JEſu, te ex aſſe heredem ſcribo.

Volo mori, ut immoler tibi Deus meus, cui me tot modis debeo.

Quoties Domine ſpiro, & reſpiro, ad te Domine ſuſpiro & aſpiro.

Totum meum lucrum eſt, ut te Deum meum contentum habeam.

Non pertinet ad te Domine, nec de tuis eſt, qui te non diligit: non diligit autem, qui ſcienter te offendit.

Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus.

Vani-

Digitized by Google

Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum.

Nonne tu Deus mihi ſufficis, ut nil expectam, de nullo conquerar? aliud nolo, tu mihi ſatis es Deus meus.

Hæc ſit mihi conſolatio, Deum meum diligere: & ſit mihi intima afflictio, aliquid præter te meditari.

Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Quid mihi eſt in cælo, & a te quid volui ſuper terram; Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

O Domine! amemus, quæſo te, ut magnitudinem amoris tui ferre non poſſimus.

ACTUS CONTRITIONIS ET DOLORIS.

Peccavi; quid faciam tibi o Cuſtos hominum?

Multum quidem peccavimus, ſed parce pœnitentibus.

Delicta mea & ignorantias meas Domine ne memineris,

Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Domine ne memineris iniquitatum noſtraſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ.

Deus

Digitized by Google

Deus propitius eſto mihi peccatori.

Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea a te non ſunt abſcondita.

Erravi ſicut ovis, quæ periit, quære ſervum tuum.

Parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei.

O Deus cordis mei, quidquid tibi diſplicet, mihi diſpicet, & quidquid tibi placet, mihi placet, quia tibi placet.

Domine cum veneris judicare, noli me condemnare.

Tu agnus Dei, qui tollis peccata mundi, etiam ſcelerati mei peccata tolle.

O quam vellem nunquam te, mi bone JEſu, offendiſſem.

Dolet, ah dolet mihi ſuper omnia Domine, quod offenderim te, ſed habes, ubi divitias bonitatis tuæ oſtendas.

Obliviſcere Pater mi, Dominus meus, & Deus meus, eorum, quæ deliqui, recordare me eſſe filium tuum.

Pater peccavi in cælum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.

Quærens me ſediſti laſſus, redemiſti crucem paſſus, tantus labor non ſit caſſus.

Domine JEſu, nonne veniſti, ut quæreres peccatores? ecce me peccatorem, accipe, & immerge me in abyſſum miſericordiæ tuæ.

Moriar

Digitized by Google

Moriar ego millies, & mille vitas deperdam, antequam offendam te Deus meus.

Ut ego offendam te Domine? abſit a me hoc! non faciam.

Ne iraſcaris Domine, ſatis, & ne ultra memineris iniquitatis noſtræ: ecce reſpice, populus tuus omnes nos.

ACTUS SPEI ET FIDUCIÆ.

Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam: & reverentiam meam.

Ubi fugiam, niſi ad te Deus meus?

Ne confundas me ab expectatione mea.

Quis ſperavit in Domino, & confuſus eſt?

Deus ne elongeris a me, Deus in auxilium meum reſpice.

Ego autem ſemper ſperabo, & adjiciam ſuper omnem laudem tuam.

Ne projicias me a facie tua, & Spiritum ſanctum ne auferas a me.

Domine ſalva nos, perimus.

Domine vim patior, reſponde pro me.

Oculi me ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.

Aſpice Domine de ſede ſancta tua, & cogita de nobis.

Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos.

Ubi eſt nunc patientia mea, & præſtolatio mea? Tu es Domine Deus meus.

Ecce

Digitized by Google

Ecce tu iratus es, & peccavimus; in ipſis fuimus ſemper, & ſalvabimur.

Ut jumentum factus ſum apud te, verumtamen ego ſemper tecum.

Etiamſi occideris me, in te ſperabo.

Exurge Domine, ſalvum me fac, Deus meus.

Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam.

Anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine ſuccurre ei.

Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.

Per tædium, deſolationem, & agoniam dulciſſimi cordis tui, aufer deſolationem aridiſſimi cordis mei.

Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me, Domine aſſume me.

Domine vim patior, reſponde pro me, quia neſcio, quid dicam inimicis meis.

Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliviſcaris pauperum.

Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero, ego autem in te ſperabo.

In te jactatus ſum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſcedas a me.

Deus meus in auxilium meum reſpice, quoniam tu es patientia mea.

Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis.

Ne

Digitized by Google

Ne projicias me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

ASPIRATIONES AD CHRISTUM IN EUCHARISTIA.

Veni Domine JEſu. Etiam veni cito.

O lux beatiſſima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Reſpice in me, & miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego.

Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies.

O ſol ſalutis, intimis Jeſu refulge mentibus.

Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum, oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

Sicut locutus es, veni, & libera nos.

Veni Demina viſitare nos in pace, ut lætemur coram te corde perfecto.

Excita Domine corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias

Veni Domine, & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris & umbra mortis.

Excita, quæſumus, Domine potentiam tuam, & veni, & magna nobis virtute ſuccurre.

Sal-

Digitized by Google

Salvatorem expectamus Dominum JEſum Chriſtum.

Expectabo Dominum Salvatorem meum, & præſtolabor eum, dum prope eſt.

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, proſpiciens per cancellos.

Ego autem ad Dominum aſpiciam, & expectabo Deum Salvatorem meum.

Domine miſerere noſtri, te enim expectavimus: eſto brachium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.

Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam nemo me deſpiciat.

JEſu, quem velatum nunc aſpicio, quando fiet illud, quod tam ſitio?

Id, quod ut mihi & tibi eveniat, in quotidiano tuo Sacrificio exorare non deſiſte.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google